

Q. D. B. V.

1668, 5

2.
6

ORDO AC METHODUS
RECTE DIGNOSCENDI AC DEXTRE CURANDI
TARTARUM AR-
TICULORUM,

Quam

Autoritate & Consensu Gratosissimi Collegii
Medici in Electorali Acad: Viadrina,

P R Æ S I D E

Viro Excellentissimo & Celeberrimo

DN. MELCHIORE POLISIO,

Med. Doctore longè experientissimo, Professore

publico emerito, Facultatis Med. Seniore,

& h. t. Decano,

Philiiatris aliisq, eruditis

publicè sistit

CONRADUS VEESENFELT, Bremâ-Saxo,

A. & R.

Ad diem 11. Septembris

In Auditorio majore.

Francofurti ad Oderam,

Literis **CHRISTOPHORI ZEITLERI,**

M DC LXVIII.

REVERENDISSIMO ET ILLU-
STRISSIMO
DNO. OTTONI

LIBERO BARONI DE
SCHVVERIN,

DOMINO IN Alten Landsberg /
Drewitz / &c.

Serenissimo & Potentissimo ELECTORI BRAN-
DENBURG: à Consiliis Status intimis, summo summo-
rum judiciorum Præsidi, Districtus Uranioburgen-
sis Præfecto, Electoratus Brandenb. Camera-
rio hæreditario & Capituli Branden-
burg: Præposito,

Domino suo Clementi

Disertationem hanc

devotè inscribit

humilissimè offert

CONRADUS VEESENFELT,
Author.



PRÆFATIO.



Lurima exstant veterum pariter ac recentiorum acroamata, quibus vite hujus fugacitatem & rerum humanarum inania exprimere sategerunt. Homerus caducis arborum foliis, Maro rosis repente nascentibus senescentibus & intereuntibus mortales comparat. Romanus sapiens in morte Claudii Cesaris vitam hanc pro anima lucta habet: & qui ex hujus officina prodiit, Justus Lipsius, universum hoc vicissitudinis gyrum & res humanas omnes perpetuum rerum in se remeantium orbem pronunciat. Lucianus in Charonte & Chytraus in oblectamentis Metricis homines versicoloribus bullis ex aqua & smegmate sufflatis equant; quarum alie simul atq; natae sunt protinus evanescent, alie paulo diutius durant, universae brevissimis intervallis distinguuntur. Omnium abjectissimè vetustissimus omnium Pindarus hominem umbrae somnium esse dicit: Σνιάς ὄναρ ἀνδρῶν; At quid, per Deum immortalem, inanius excogitari potest quàm umbra somnium! Et mehercle si perpendamus quibus potissimum rationibus ducti philosophi conditione vite humane jam fugacissimis quibusvis rebus comparaverint, jam iterum infra vilissimarum idearum conceptus planè abjecerint; patebit cause satis, quae illis humana omnia curatius pensiculantibus levissima quaeq; pro comparatione insinuaverit.

*Descende in etates status & conditiones mortalium.
Quid infantia nisi foeda spurcitie latrina? quid pueritia?*

A

pralu-

praludium calamitatum: quid juvenus? solum omnis nequitiæ ferax & orexis impuratum. Præ aliis ætatibus conditione suâ gloriaretur consistens ætas, nisi mancipium esset sollicitudinum seriarum omnisq; generis curis implicaretur. Senectutis incommoda erudito metro graphicè delineat Cornelius Gallus, orator & poëta suo tempore per orbem clarus: res eò recidit; Senectus ipsa morbus est, & multis viva mors. Deniq; totus per omnem vitam homo nihil est nisi temporis spoliolum, Fortune lusus, inconstantia exemplar, saccus stercorum, morborum macellum, stabulum miseriarum & diversorium calamitatum; punctum deniq; quò semper collimat fatale mortis jaculum. Foelicium vita somnium est jucundum & phantasma Magnificum, infœlicium (quæ, eheu! plurima turba est) rivus omnis miseria, abyssus tristitiæ, continuum mortis speculum: Utrorumq; tandem & foelicium & infœlicium vita ludibrium est æternitatis.

Aristoteles in libris Politicis itemq; Rhetoric, libro 3. vigorem humani corporis tradit jam evanescere anno ferme trigesimo quinto, animi undequinquagesimo. Hippocrates vegetam hominis ætatem terminat quadragesimo nono: jam si pueritiam & senectutem subducas de ratione ævi, quæso, quantum est hoc quod relinquetur; adde quod æstimatione nocturnæ quietis tantum dimidio quisq; spatio vitæ suæ vivit.

Et paucillum hoc quod vivimus tantis circumscriptum angustiis! Sexcenta calamitatum genera quotidie infestant. Fulmina, venena, naufragia, bella, lapsus; & illa animi Furia; ira, odium, amor, desiderium: atq; hæc Fortune mala; ignominia, contemptus, egestas, quam Poëta turpem dixit, & quid non? Acquiescere quodammodo possemus, nisi tot supervenientes morbi consummarent nostram, quotquot sumus mortalium, infœlicitatem. Insuper enim, ut venustissimus Poëta Venusinus canit:

Ma-

Macies & nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotiq; prius tarda necessitas
Lethi, corripuit gradum.

Nilil jam addo de illis idiomachia molestis quam nootomi exploratam habent. Et per Deum, acrius nullum est certamen, quam quo homo sibi met ipsi conflictatur; ac qui banc primum moverit Camarinam, quot non offendet legiones demonum, quantum non corruptissimarum cupiditatum penu! Qui hinc angores, quæ eluctandi difficultates illis, qui omni conatu contendunt ad culmen bonæ mentis & purioris animi tranquillam quietem! At hæc omnia si uno obtutu contempleris, homines & humana omnia æturi scenico non inconcinnè assimilaveris. Choragus Deus est Creator, qui spirituum invisibilium ministerio mundum hominesq; gubernat: theatrum mundus est; theatrum sanè nitidum & amplum, at plenum corruptibilium & intereuntium specierum, mundi tamen invisibilis, mundi archetypi (ut vult Plato in Timæo) umbra aliqua atq; simulacrum. Ille multa habet speciosa, multa fucata, plurimania, plurima tristia, omniaq; hæc tandem transitoria. Actores homines sunt, morbi interscena, mors siparium, quod pedetentim actores jam fervidos jam desides spectantium oculis subducit, omniumq; tandem finem facit. Et mirari quidem hæc omnia aut deslere possemus, nisi creberrimæ rerum humanarum vicissitudines omnem penè admirationem, & malorum assuetudo luctum omnem sustulisset.

Inter reliqua autem interscena, quibus in hujus vite dramate vexatur, atteritur, absorbetur erumposa mortalitas, primas tenet arthritis, trux illud & indivisum interscenium, quo in medio æturi suo sufflaminantur non tam Davus aut Menedemus, non tam homines proletarii & capite cense, quàm illi quorum potissimus in universa scena æturus est: unde

etiam ab aliquibus arthriticis morbus divitum, ob cœnas ple-
rumq; dubias, crapulam & cœteras corporis voluptates, ab aliis
protervè magis mastix Magnatum appellata fuit; quamvis
hic advena nec hospitiorum tenuitate semper offendatur & in
mediocres subinde casas etiam divertat. Quod autem hoc
arthriticis interscenium præ aliis mihi tractandum sumi-
serim, in causa est, quòd morbo hic non tantùm latissimè pateat
& multorum aliorum morborum curationes involvat, verùm
etiam talis sit, in cuius curatione Medici solertia & artis glo-
ria se evidenter efferant; secus ac in aliis plerisq; per se aut
lethalibus aut aliàs fatalibus morbis fieri consuevit, ubi vel ex
fato vel ex morbi vehementia arti suæ excusationem & pa-
trocinium capiunt medici: his accedit, quòd quò atrocior &
diuturnior est hic morbus, eò ardentius illius mitigationem
& curationem imploretur gratiosissima iatrice. Quo nomi-
ne exemplum ejus citat Plutarchus in libro moralium, ubi vo-
tum ejus est, ut illi qui animo sunt vitiato, philo'oporum
opem implorent, æquè atq; ægri corpore Medicorum artes so-
lent fatigare. Rationem verò istius neglectus addit Philo-
sophicam non minùs quàm facetam, quòd scil. ægri corpore nec
mille argumentis persuaderi sibi patiantur se esse perfectè sa-
nos, nec unquam podagricus verbis quantumvis comitis aut
phaleratis eò adduci queat, ut credat podagram suam pedum
velocitatem esse; cum contrà qui animi morbis laborant se
laborare etiam de industria ignorent, teterrimaq; vitia nomi-
num honestiorum fuco obvelantes, semetipsos, ingeniosè scili-
cet, decipiant. Hinc fieri dicit, ut inconsultam audaciam in-
victa fortitudinis, præcipitem iracundiam elatam magnanimi-
tatis, obscœnum amorem honesta amicitie, edacem sui invi-
diam animosi certaminis, & turpem degeneris animi metum
tuta cautionis ac innocua pietatis titulo donare sit perquam
solenne. Sed qui ad animi morbos calamum meum devolvit
Plutarchus, eundem jam ad corporis vitia tanquam ad Sco-
pum reducat.

SECTIO.

SECTIONIS PRIMÆ.

§. I.

Quantæ molis & difficultatis sit corporis humani fabricam rectè cognoscere, partium functiones, functionum læsiones, læsionum varietates, humorum varia varii generis vasa permeantium generationem, morum qualitatemq; accuratiùs declarare, determinare & definire; abundè loquitur illud jam tot retrò seculis cultum anatomix studium, nec dum tamen expeditum, nec dum ab omnibus omninò tenebris erutum, variisq; , quas habet, ambiguitatibus vindicatum. Nihilominùs tamen hanc utcunq; difficilem multisq; modis arduam corporum humanorum anatomen, fili instar Ariadnèi rectissimè prensant omnes illi qui tot morborum labyrinthis foeliciter se extricabunt & firmam certitudinem pro ancipiti dubiaq; incertitudine in omni iatricæ artis negotio venabuntur. Quandoquidem nulla datur medicinæ pars in qua sibi locum non vindicet utilitatemq; ingentem habeat corporis humani erudita cognitio: hanc itaq; nescire turpe medico semper, & ægro sæpe funestum. Ego dum juxta consuetam eamq; rationalem morbos tractandi methodum causas ante curationem indago, neglectis illis vulgaribus & sublestæ fidei causis, ex anatome quoq; omnia quæ ad arthritidis naturam eruendam omnesq; ejus affectiones enucleandas facere possunt, audacter & tuto desumam, probè gnarus, multa ex hoc capite curatiùs ponderanda, à priscorum plurimis aut neglecta, aut per invidiam suppressa, aut deniq; ignorata.

II.

Promiscuè autem arthritidis tum in illis quæ per diarthrosin, tum in illis quæ per synarthrosin, diversasq; utriusq; generis species conjunguntur, osibus, sedem figit, eodemq; modo tam illam osium symphysin quæ sysarcosi quàm illà quæ synneurosi fit, intemperanter occupat. Hinc sine discrimine totum subinde corpus exercet, iterumque aliquibus tantùm ejus partibus infesta est. Hinc (ut diarthroseos exemplum detur) gonagra nunc urgent & ischiadicus atq; in articulis manuum ac pedum dolor; & quantum ad synarthrosin, nunc in carpo aut metacarpo manus tarsoq; pedis

A 3

fit

fit tristis sensatio: at hæc rariora. Sysarcofi æquè ac synneurosi imminere arthritidem scapularum & pedum dolores testantur: ibi enim symphysis per sysarcofin, hîc per synneurosin obtinet. Frequentior tamen est arthritidis in diarthrosi quàm in synarthrosi & frequentior in synneurosi quàm sysarcofi: hinc scilicet femur citius quàm tarsum pedis aut carpum manus, & citius digitos manuum ac pedum quàm scapulas infestari videmus.

III.

Ex hisce diversarum corporis humani partium cruciatibus quinque potissimæ arthritidis distinctiones speciales resultant: Podagra, Chiragra, Gonagra, dolor coxæ & homoplatarum. Si verò in aliis præter hæc memorata locis, v. g. cubiti articulo, aut humeri acromio, aut in coalitu clavicularum cum osse sterno, aut in maxillæ articulo oboriatur dolor, generalem arthritidis denominationem sortietur. Superiorum quinque specierum frequentissima est podagra, sequitur chiragra, post dolores in genibus, scapulis & coxendice.

IV.

Dolores qui in diversis hisce arthritidis speciebus ægrum excruciant varii sunt: sæpius lancinantes, rariùs ardentes, jam tensivi jam obscurè urentes ac rodentes, jam perterebrantes & fixi, jam gravativi; frequentissimè cum quodam lacerationes sensu molestissimè rodentes. Dolores quoque vel fixi sunt vel vagi, iterumque magis minusve tales. Sic dolores magis vagi occurrunt in arthritide generali scorbutica dicta. Hæc enim non omnes partes simul æquè atroci impetu adoritur sed aliam atque aliam pro tempore excruciat, unde & arthritidis vaga dici consuevit. Minus vagi dolores occurrunt in dolore coxendicis & homoplatarum. Ibi dolor ab initio quidem fixus, mox vagus, ex femore per crus ad imum usque pedem, aliquando usque ad genu tantum, iterumque retro ad os sacrum & ani regionem molestissimè cum lancinatione fertur: hîc, ex humero per brachium ad carpum & metacarpum usque excurrens dolor in phalangibus digitorum sistitur. Fixiores sunt dolores in podagra & chiragra ubi ut plurimum dolor est vel pungens & terebrans cum contusionis aliquo sensu vel molestè rodens ac obscurè urens. Gonagræ dolor inter fixum & vagum quasi
medius

medius est: Aliquando enim in tibiæ & femoris coarticulatione pertinax subsistit aliquando exinde vel ad superiora vel ad inferiora mobilis excurrit.

V.

In podagra & chiragra tumor (adolescente præsertim malo) asurgit jam pallidus jam rubicundus & erysipelatoden aliquam phlegmonem referens, jam colore ex utroque mixto coloratus: quod in Gonagra etiam aliisq; excarnibus articulis evenisse observatum est. In scapularum verò & coxendicis dolore tumor rarius elevatur conspicuus, nec nisi in profundo latens isq; sæpe calidus & phlegmonosus cum ingenti dolore, qui topicis præsertim Sinapis & Dropacibus aliisq; calidioribus linimentis exasperari, frigefacientibus verò & narcoticis mulceri, hirudinibus applicatis in totum aboleri solet; ut postmodum in cura plenius dicetur. Neque enim oberit bis monuisse id in quo sæpius delinquitur. Tumore autem enato mitius jam ægrum lacescit dolor & de furore suo pristino utcunq; remittit.

VI.

Malo adulto tophi nodiq; Tartarei articulos sensim occupant, in chiragra præsertim & podagra: qui vel sponte, vel novacula, vel adurenti medicamine reserati eructant materiam non ab similem illi quam atheromata vomunt; aliàs quoq; fluidam aliàs tenacem, coagulatam, induratum, subinde lapideam planeq; calculosam. Inde motus animalis vel imminutus vel ex parte tantum labefactatus hætenus in totum prosternitur, fiuntq; artuum contracturæ visu miserabiles; & ut ad extremam calamitatem nihil omnino desit afflictis mortalibus, spasmus subinde & convulsio superveniunt: Tristes Furia.

VII.

Verum & ab aliis mutuatur affectibus quo in nos delæviat atrox illa Nemesis: hinc non tantum in articulorum regione, sed & quæ osium planities porrigitur tophi nodiq; subinde asurgunt; quod aliàs non nisi in luè Venerea & in Rachitide Anglorum veluti de jure fit. *Felix Platerus*, omnium ab omni ævo Germaniæ Medicorum (absit invidia dicto) facile summus, ejusmodi nodos à cubito ad carpum usq; deductos & veluti cohærentes in podagrico

grico natos atq; ex illis ruptis pulvem albidam emanantem se vidisse refert, Et hinc illi in media quoque ossium regione dolores, quos aliàs non tam illi qui arthritide quàm qui lue Venereâ laborant, experiri solent.

VIII.

Nec febre destituuntur agra arthritici, & vix unquam ulla arthritidis species infestat quæ cum febre non invaserit, & in qua durante paroxysmo arthritico non simul adsit febris synochus. Exploranti siquidem agrorum arteriam manifestum fiet, pulsum esse concitatioem seu frequentioem præter naturam, id quod ego signum febris pathognomonicon esse statuo. Cæterùm appetitus plerumq; solet esse prostratus præsertim in arthritide calida dicta, alvus in frigidiore segnis & remissa, somnus impeditus, animus simul corpore inquietus, sitis in calidiori malo præter naturam aucta, in eodem color urinarum rubeus quamvis non saturatus. Et hoc sub primis paroxysmorum arthriticorû insultibus & malo adhuc recenti.

IX.

Ex illis quæ hæcenus dicta sunt arthritidem sive morbum articulare describo; tristem in articulis sensationem cum febre ortam, & motum temporis progressu impredientem, à causa interna eò affluente proximè productam, Per articulos autem hæc propriè intelligo non tam connexa simul ossa quàm omnia ligamenta, tendines omnes & membranas, quæ ad illorum faciunt firmamentum & robur. Cùm enim articulus ex duorum ossium extremis vel coeuntibus superficiali articulatione, vel se invicem penitus amplexantibus constituatur, & nihil ibi adsit vel membranæ vel nervi vel tendinis vel ligamenti præter cartilaginem, quâ utriusq; ossis commissura incrustatur, insensilem, non poterit ibi doloris esse vera sedes: quin potius in nerveis utriusq; articuli ligamenti & in musculorum articuli regioni superstratorum tendinosi membranosiq; extremitatibus cruciatus omnis stabulabitur, quod etiam ipsa dolorum sedes loqui videtur, hi siquidem non in ipsa ossium commissura, ubi articulus, sed in partibus circumjectis demum acriter affligunt. Insuper nec in interiori articulorum sede (ut aliqui super coxendicis dolore in magno ossis

Ischii

Ischii acetabulo fieri autumârunt) subsistere potest dolor, aut do-
lorem faciens humor, cum præter humorem articulos naturaliter,
irrigantem, ob strictam ossium cohesionem tendinumq; incuban-
tium soliditatem & robur, nullus ibidem recipi possit humor pe-
regrinus.

SECTIONIS SECUNDÆ.

§. I.

EX doctrina Galeni duæ sunt primariæ arthritidis causæ: ar-
ticuli imbecillitas & superfluous humor. Rarius tamen articuli
imbecillitas aliqua observatur nisi à superfluo ac procum-
benti humore primùm introducta, ut aded superfluous hu-
mor antiquior sit & profundior arthritidis causa quàm imbecilli-
tas articuli; cum hæc vix aliunde (vitium à nativitate, insignes æ-
ris injurias, & singularia quædam opificia excepero) quàm ex hu-
morum superfluitate generetur. Remanent autem in diu iteratis
affluxionibus materiæ illapsæ nec penitus discussæ reliquiæ, quæ
partes corrumpendo distendendoq; laxitatem iis inducunt, unde
qui vel brevi, vel aliquanto post movetur humor, in partem dila-
tata ac pristino labore imbecillem facilius quàm alibi divertit.
Vult hoc *Magnus Dictator*, quando partem, quæ jam ante morbum
laboravit, facilius aliâ aliquâ parte ingruentes novi morbi mole-
stias recipere asserit: & juxta *Aphorismum 12. Sect. 3. Quæ in mor-
bis post crisin relinquuntur recidivas facere consueverunt.*

II.

Inquirendum jam est qualis tandem sit humor ille arthriticus
& per quas vias ad articulos deveniat. Super hoc negotio alter-
cationis terra inter authores reciprocatur, & quisq; suo hic abun-
dat sensu, quisq; suis sibi præest rationibus. Cum verò non tam
de alienarum sententiarum à nostra diversarum everfione, quàm
de nostrarum probatione atq; statuminatione solliciti esse debeat-
mus; ego meam quam foveo sententiam quâ potero perspicuitate
simul & brevitate (salvo tamen aliorum judicio) stabilire conabor.
Quandoquidem, uniuscujusq; rei una tantum est veritas, unde, qui
se ipsam habere probaverit, eo ipso, ut aliorum secus sententiarum
opinionem sponte ruant, effecerit.

B

CAU-

III.
Causam proximam arthritidis statuo esse materiam acrem ex corporis centro ad circumferentiam & hinc ad articulos duce febre propulsam, unde fit, ut eadem materia ibi præter naturam hærens & stagnans acrior sensim evadat, partesque articulis adfitas laxet. Stagnans materia vellicat sensiles circa articulos partes, unde dolor pro materiei acrimonia nunc intensior nunc remissior; ac variè, jam lancinando, jam rodendo, jam distendendo, jam obscure urendo molestus, accrescente indies humorum affluxu, qui à parte debili non ægrè recipiuntur.

IV.
Acria in corpore humano duo sunt: *acre salsum* & *acre acidum*. *Acre salsum* bilis est, *acre acidum* succi pancreatici. Duo hæc acria à statu naturali abeuntia, adeoq; corrupta, *tertium* aliquando *acre* constituunt; *salsum* nempe *muriaticum*: quod ultimū in scorbuticis præcipuè observarunt accuratiores Practici.

V.
Bili sal inesse *lixivum* tum fixum tum volatile non tantum amaritudo ejus sed & Hermetica anatome docet. Si enim bilem vel vaccinam vel porcina præviâ trium vel quatuor septimanarum fermentatione destilles, sal volatile exhibit in forma liquida, quod spiritui alicui acido v. g. spiritui vitrioli aut oleo sulphuris per campanam affusum, manifestam & ad sensum calidam effervescentiam cum eo excitat, more scilicet reliquorum omnium tum volatilium tum fixorum salium spiritui acido copulatorum. *Acre acidum* in humano corpore reperiri licet multi (at parum Medici) pertinaciter inficientur, illud tamen dari certum est & ad sensum patet. Præterquam enim quod melancholici acida instar olei vitrioli aliquando evomant, unde non tantum fauces excoriantur, sed & dentes planè hebescent; alia quoq; ratio quæ illud evincat in promptu est, oculis & sensui patens, quæ movebuntur absq; dubio, illi qui hætenus præconceptarum semel opinionum præter modum tenaces acerrimè sunt refragati.

VI.
Neminem nisi in re medica planè hospitem fugiet, *Johannem Georg. Wirsungum*, Bavarum, Anatomicum Excellentissimum & publi-

publicum Anatomes Doctorem in Illustrissimæ Reipublicæ Venetæ Gymnasio Patavino, ante annos circiter 26, novum in Pancreate ductum invenisse, ibidemq; publicè commonstrasse. Ductus hic per universum Pancreas minoribus ramis dispersus & in tenue intestinum hians æri tunc incisus & ad externos boni publici causâ transmissus est. Absolvisset hoc opus, & usum hujusce ductus, quisnam humor per eum moveretur investigasset laudatus Wirfungus, nisi indigno suis virtutibus exitu ante diem cecidisset, vir dignus,

Nestoream ætatem & Pyllos qui viveret annos.

Siquidem non multò post, à malevolis, qui facti hujus gloriam ipsi invidebant, in propriis ædibus glande bombardicâ nefariè traxerunt, summo cum bonorum omnium luctu ac mœrore mortalium rebus excessit. Ab illo tempore plures ingenio pariter ac manu præstantes viri improbè afflictam Wirfungi famam laudemque immortalem à malevolorum manu veluti postliminio vindicaturi, id egerunt, ut ductus hujus usum orbi erudito exponerent. Nemo id feliciter præstitit, quàm sub auspiciis celeberrimi Sylvii, Regnerus de Graef, Schonhoviâ Batavus, qui editâ habitâq; sub præsidio ejusdem Sylvii dissertatione publicâ ductus hujus usum, & liquorem qui per hunc ductum veheretur fusiùs aperuit. Magnis quidem & sanè, molestis hæc experimenta ipsi constituerunt laboribus, at minimè inutilibus aut pœnitendis; cum, quæ inde ad rem medicam redundet utilitas, magni sit facienda. Sub acidum verò, acidum, nec non austerum & acido falsum liquorem per hunc ductum ferri ille demonstravit, & adjectis figuris æneis, omnibusq; instrumentis ad colligendum hunc ex vivo animali succum idoneis evidenter exposuit.

VII.

At multi novum hoc sagacissimi viri inventum sibi obtrudi non facilè passi, multùm ex invidia obnitebantur, multùm calcitrabant contra hanc de pancreate ejusq; succo sententiam; instantes, & obtendentes potiùs quàm urgentes, demonstrationem istius succi in corpore humano requiri, frustranea illa esse & elumbia quæ ex brutorum constitutione peterentur argumenta. Quid agere expediebat? In homine per morbum extincto non processisset ex-

perimentum; in vivo autem & sano, quem aliàs scelera & maleficia misissent ad laqueum hoc experiri, Herophili alicujus erat, non alterius mansuetioris ac generi suo commiserantis. Interea sub judice lis erat & res infecta manebat: donec tandem idem Regnerus d' Graef in Academia Andegavensi, sic disponentibus fati, hominem sanum & robustum annosi pontis ruina oppressum subitoq; extinctum consensu primatum loci (apud quos ob insignem doctrinam & multifariam eruditionem magnus ipsi erat gratiae & amicitiae locus) eo fine dissecaret. Hominem adhuc planè calentem & vultus morte recenti nondum confusus cultello Anatomico subjicit, examinat; & spei plenior quàm timoris, pancreas confestim adoritur, ductum ejus explorat, in eoq; offendit succum Pancreaticum, quàm unquam in brutis habuerat, acidiozem. Magnocum procerum applausu hoc exceptum, Lugdunensi Academiae per literas & testimonia loci ante biennium innotuit. De succi autè hujus naturâ, quid ad sanitatem hominis, quid iterum ad morbos contribuat, quomodo moveatur &c. vide in tractatulo *Regneri d' Graef* hac de re edito Lugduni Batavorum anno 1664.

VIII.

Pancreas itaq; pulvinar ventriculi nobis ampliùs non est, sed longè nobiliori munere fungitur. Bilis excrementitius humor & non nisi tingendis alvinis faecibus utilis, nobis ampliùs non est, sed naturæ balsamus, ad naturalis vitæ beatitudinem omnesq; tam vitales quàm animales functiones obeundas maximè necessarius. Lapsi sunt veteres nec omnia rite cognoverunt; & nos hallucinamur saepe, cespitamus, labimur saepe. Quæ nobis aut plane incognita jam sunt aut saltem obscura, posteritas cognoscat & clariùs explicabit. Figmenta nulla in vetustatis reverentiam impensius colenda. Nihil nisi quod suo se valore nobis probat admittendum: nec obest cornicum oculos configere cum ratio svadet. Quandoquidem, non minùs scitè quàm rectè Comicus in *Adelphis*: *Nusquam ita quisquam tam bene subductâ ratione ad vitam fuit; quin res, atas, usus, semper aliquid apponent novi, aliquid moneant; ut illa quæ te scire credis, nescias, & quæ tibi putâris prima, in experiundo repudies.*

IX. Gene-

IX.

Generatur autem acidus hic in pancreate succus ex sanguine ad pancreas per arterias coeliacas devoluto: hic enim quicquid habet acoris in glandulas pancreatis deponit, qui exinde per laterales ductus in ipsum ductum majorem, Wirfungianum ab Inventore dictum, & hinc in intestinum tenue effunditur. Quatuor enim transversis sub pyloro digitis circiter, ductus hic pancreaticus, una cum bilario intestinali ex epate oriundo sub una eademque vagina communi in intestinum hiat. Junctim itaque in tenue intestinum effusi bini hi & contrariarum qualitatum humores, ibidem effervescentiam excitant, qualē semper sale lixivo tum fixo tum volatili spirituque acido concurrentibus excitari observamus: quae quidem in statu sanitatis naturae amica consonaque, nec violenta, in morbo autem multis vitiis implicata diversisque cum molestiis juncta est. Hinc, quando acidum praecipue vel quantitate vel qualitate peccat, dolor algens in regione lumbari, dolor contorquens & constringens in abdomine, posteaque lancinans in omnibus artibus infestat; dum scilicet succus hic male affectus per venas lacteas & truncum thoracicum ad cor & exinde ad omnes corporis partes defertur. Huic succo vitiatō debentur scorbutus, melancholia hypochondriaca, atra & æruginosa bilis, dysenteriae, apthæ, stranguria, syncope, apostemata dura & pertinacia, ulcera cacoëthea, convulsiones, spasmus, aliaque plura mala; quae omnia in illethalibus citò tutò & jucundè curare non admodum arduum erit illi, qui succi hujus naturam atque affectiones, & quibus in genere medicamentis in ordinem redigi queat, explorata perspectaque habuerit. Sed ista hic ulterius persequi instituti mei ratio non permittit.

X.

Quando igitur ex unius aut plurium rerum, non naturalium vitio succus pancreaticus justo acrior acidiorque factus una cum bile in intestino tenui vitiosè effervescit, dolores inde tum algentes, tum non absque frigoris molesto sensu lancinantes in regione lumbari & hypochondriis oriuntur. Dolorum ratio localis ex tenuis intestini structura perenda est: hoc enim centro mesenterii annexum à pyloro in dextrum hypochondrium porrigitur usque ad re-

nem dextrum; mox ibidem rursus infra se contorquetur ferturq; sub mesenterio ad medium vertebrarum lumbarium, unde in sinistro hypochondrio iterum emergit. Non mirum itaq; si in arthriticis febribus leviùs, & in aliarum intermittentium quarumcunqve præsertim quartanarum initio, de doloris lancinantis frigorisq; molesto sensu in regione lumbari admodum conqverantur ægri; hæc enim illa morbi sedes, unde primùm erumpit in universum reliquum corpus illa bilis & succi acidi mixtura; quæ, quando in tenui intestino efferbuit, pergit exinde per venas lacteas ductumq; thoracium cum sanguine ad cor, quod eadem acrimoniâ suâ irritando & vellicando, pulsum præter naturam frequentiore adeoq;ve signum febris pathognomonicon inducit.

XI.

Sed nec hoc in loco isti humorum mixturæ fixa sedes; ulterius pergit & postquam ex cordis ventriculo dextro per pulmonalia vasa circulata est, inde in sinistrum cordis ventriculum reversa per magnam arteriam omnesq; ejus ramos ad omnes corporis partes quaqva versum & hinc quoq; ad articulos dispergitur. Unde fit, ut, qui febribus intermittentibus diuturnis laborant, articulorum dolore facillimè corripiantur. Præterquam enim quòd quotidiana hoc doceat experientia, idem auctoritas Magni Hippocratis confirmat, qui in *Coacis prænotionibus* Coacâ centesima decima octava, *ἐν μακροῖς πυρετοῖσι*, inquit, *ἢ Φύματα ἢ ἐς ἀρθρα πόνοι ἐγγίνονται, καὶ ἢ γύνονται, ὅτε ἀχρηστοί.* In febribus longis aut tubercula aut ad articulos dolores proveniunt, quos neq; tamen temerè fieri existimandum est. Ac iterum in aureo aphorismorum libello Sect. VII. §. 63. idem inculcat: *Quibus febres longa, his tubercula in articulis aut dolores fiunt.*

XII.

At quia in dissertationis hujus limine dictum est, rarissimè arthritide corripi hominem quin febris præcedat, eaq; ut plurimum levis, nec molesto cum frigore, nec molesto cum dolore juncta, sed levi potius capitis & junctatum dolore, corporis lassitudine, ac subinde siti hominem urgens, nec ideo ab ipsis ægris magni æstimateda sæpeq; neglecta; operæ pretium erit jam exhibere modum & progressum morbi. *Arthriticas enim febres querimus in succo*
pano

pancreatico ita corrupto ut articulis potissimum sit infestus, sive acrimonia simul, quod frequentissimum, insigni praeeditus, bilem, cum qua vitiosè effervuit, unà secum eò deducat & dolorem atrocissimum producat; sive minus acer, atq; pituitam viscidam non item bilem acrem offendens, ab eadem assumptâ plurimum obtundatur, atq; tumore albicante potius quam dolore acuto affecta partis motum impediat. Post aliquot autem febris invasiones arthritis demum fit evidentior, & licet unà cum terminato febrili paroxysmo dolor ejus aliquantulum sopiatur, non remittit tamen in totum, sed paulo mitius affligit, donec redeunte paroxysmo recrudescat. Et hoc continuatur usq; dum materia febrilis singulis paroxysmis copiosius advolta articulos pertinaciter & in totum occupet unde dolor arthriticus perpetuo & raro per intervalla lenius urgens.

XIII.

Hæc bilis & succi acidi salsuginosa mixtura quando unà cum sanguine ad extrema corporis pervenit, ibidem in intermedia carne ob crassitiam suam consistit, sanguine puriore interea iter sibi consuetum ex arteriis in venas decurrente & ad cor, juxta doctrinam Harvejanam, refluenta. Hærens autem præter naturam hæc materia circa articulos & hinc in toto corporis habitu, pro sua qualitate, copiâ, impetu partiumq; laxitate, rerumq; non naturalium diversarum diversa constitutione, jam in hunc jam in alium articulum ruit ejusq; circumsitæ partes maximè sensiles excruciat. Interim materia hæc extravasata & circa articulos hærens in tumorem dolorificum ab itophorumq; initium facit; sanguis verò qui isthac permeat, crassiora sui singulis circulationum vicibus ibidem deponens ruborem majorem parti conciliat, ita ut tumor inde natus erysipelatoden aliquam phlegmonem referat. Præsertim hoc evenit in corporibus quæ unà cum succo pane: bilem acriorem habent, ad quam idcirco in curatione præprimis respiciendum. Particulæ insuper horum humorum contrariæ quid vetat quò minus in articulorum locis contrariis motibus per effervescentiæ modum agitentur, unde non tantum exquisitus dolor, sed & aquearum particularum transpiratio, quam sequitur relictarum intima mixtio, mixtionem coagulatio, coagulationem itophorum & nodorum generatio sensim excipit.

Lympha

XIV.

Lympha quoq; in censum hic venit; quam non solum existere, verum etiam subacidam esse omnibus in cadaverum sectione versatis innotuit. Hac itaq; dum a sanguine secreta in conglobatas glandulas secedit, inde per vasa lymphatica ad thoracicum ductum & hinc ad cor reditura; facile fit, ut pars ejus foeculentior & principium aliquod coagulationis calculosum & salinum (quod quidem sero inesse in nephritidis tractatione ostendit *Magnus Platerus*) obtinens, a glandulis conglobatis non recepta, vel etiam recepta, iterum tamen emanans, in habitu corporis permaneat inibiq; articulis infesta esse incipiat. Quin imò lympham extravasatam in habitu corporis praeter naturam haerere, sicq; functionibus ejus officere manifestè saepe videmus in illis qui aëris atq; cœli inclementiam unà cum frigoris undarumq;ve injuriis perpesi & clinici exinde facti sunt. Memini enim ex inclyta Lugdunensis Academiae nosocomio, talibus riguisse omnia membra, collum, brachia crura, & hoc non alià de causâ, quam quod lympham tempore istarum molestiarum libero ad cor refluxit gaudere nequivit: frigus siquidem externum, ambientes undæ, venti Boreales & grandine niveq; horridi remoram ipsi quasi & frænum injecerant, ut coagulata in corporis habitu consisteret; unde postmodum se exonerans in artus & membra vicina, illorum hebetudinem & paralyin sed plerumq; brevem & sudoriferis iterum expugnabilem induxit. In arthriticis affectibus lympham sale muriatio & tartareo prægnans & foeculentia suâ in glandulis subsistens, indeq; postmodum tractu temporis effusa, articulorum tendinosi & nervo - cartilagineis partibus se insinuat & quamdiu absq; sanguinis aut sanguinei alicujus humoris admixtione ibidè subsistit, tumores constituit ruboris expertes & fere œdematosos, progressu tamen temporis, sive ex majori sensim contractâ acrimoniâ, sive ex materiei accrescentis distentione non nihil dolorificos. Nisi enim discutiaturophorum materia, fit quotidie densior, ac subinde quoq; acrior. Quod si vel ex stagnantis humoris acrimoniâ contermina sanguinea vascula aperiantur, vel saltem attenuentur, ut per diapedesin faciliùs aliquid humoris sanguinei venarum tunicas quasi transfudet; aut ex intermedia carne aliquid elabatur

tur tumor fit rubeus, non absimilis illi qui extravasato fœculen-
to sanguini debetur. Tandem extravasati hi humores sive ex
lymphæ sive ex sanguinis impuritatibus geniti in eodem loco diu
immobiles ævuleo sunt ægris, articulorum motum viciant, inque
calcem pultaceam arenularumve ichorosam & viscosam congeri-
em pedetentim transeunt.

XV.

Voluit tractationis ordo, ut meam de lymphæ motu senten-
tiam præcedenti paragrapho attingerem. Quò itaq; illa indirectè
magis proposita est, eò minus integram illam de origine ac motu
lymphæ lactisq; & seminis sive ex chylo sive ex sanguine genera-
tione controversiam meam jam fecerim. Solum hoc tacitè non
prætervehor, *Franciscum Sylvium*, & *Joannem von Horne*, illustres
hujus seculi Anatomicos, in juvene decollato lymphæ motum à
circumferentia ad centrum duabus ab obitu horis manifestè ad-
huc observâsse: & *Dn. D. Fridericum Riyschium*, Anatomicum
Hagiensem exactissimum & cadaverum conditorem artificiosissi-
mum, valvulas in vasis lymphaticis reperisse convexâ sui parte
truncum lymphaticum spectantes; liquido, ut putat, argumento,
motum lymphæ ad illum, non ab illo esse. Et vasa lymphatica
in brutorum sectione ligata cis ligaturam intumuisse trans ligatu-
ram verò detumuisse ipse vidi. Recedunt hinc non pauci à sen-
tentia *Generosissimi Bilsii* & *Excellentissimi Antonii Deusingii*, *ὄν ἐν
ἀγίαις*. Neq; enim se istis adstipulari posse dicunt, antequam con-
trarium lymphæ motum manifestè edoceantur. Videantur *Fran-
ciscus Sylvius* in fasciculo Disputationum, Disputatione VIII. de
vasis lymphaticis & lymphæ: *Fridericus Riysch* de valvulis in vasis
lymph. repertis nuper editus *Hagæ Comitum*, & *Nicolaus Stenonis*
de glandulis oris & recéns inventis ductibus salivaribus, excusus
Lugduni.

XVI.

Restat difficultas de motu materiæ arthriticæ jam extrava-
sata, quam nisi eluctatus fuero, opus non absolvero. Illa vero
objicit materiam arthriticam non circa articulos tantùm sed & u-
bivis circa medium osium exonerari, quò ergo fieri possit, ut ma-
teries arthritica in loco extravasationis tam rarò subsistat omnisq;
ferè eo vergat ubi articulus?

C

Resp.

Resp. Primò: Freqventi motu fit, ut excutiatnr materia ad tendines & ligamenta circa articulum coëuntia, quorum robur & soliditas obstat, ne ulterius postmodum feratur.

Secundò: Maximè hoc obtinet in afflictione digitorum manus & pedis, ubi stagnanti materiæ omne porro iter est negatum. Per metastasin verò humorum totum translationis humoralis negotium declarari potest. Fit autem metastasis vel in vasis vel extra vasa. Quæ fit in vasis obscura non est. Hujus exemplum est in materia arthritica ex corporis medullis ad articulos delata; quæ verò fit extra vasa, intricatior est & captu paulò difficilior illi, qui eam propriis oculis nunquam usurpavit. Fit autem hæc per membranas musculorum aut aliarum partium: fertur aliquando inter membranas, aliquando inter membranam & parenchyma alicujus visceris, vel inter membranam & os, unde tumores in lue Venerea & Rachitide Anglorum. Metastasis quæ fit inter musculorum membranas, contingit sæpe in doloribus artuum tensivis & contudentibus ex humore lymphatico extravasato, quos Germani Glüsse vocant, recepto quidem at inidoneo ad rem explicandam vocabulo, quasi ista mala defluxionibus ex capitis interioribus factis ortum suum deberent. Metastasis inter membranam & parenchyma alicujus visceris plana est in epatis apostemate, pulmonum incipiente vomica superficiei proxima, aliisque. In ventre quoque observatus est talis metastaticus humorum fluxus, unde in illo ulcera & tumores subinde nascuntur: fit, quando inter peritonæum & musculos abdominis colligitur aliquis ex transpositione humor. Sic inter tenuem menyngem & substantiam cerebri inque aliis multis corporis partibus, ut in thorace, hypochondriis &c. inveniuntur non rarò in cadaverum morbis extinctorum sectionibus humorum aqueorum colliuies. Et, ædepol, hæc illa sunt quæ sæpe in consiliis medicis exercent & suspendunt tam medicos quàm Chirurgos eruditos: Eruditos dico; Chirurgorum enim vulgus, quos tonsores dicunt, promptius novit oleum & ceram in emplastrum coquere, quàm talia ritè cognita ritè curare. Illa verò quæ hic de metastasi humorum proposui, ratiocinia non sunt aut otiosa commenta (qualia. pròh dolor, multa tum in medicina maximè, tum in aliis quoque disciplinis) sed solidâ & certâ
expe-

experientiâ fundata. Quemadmodum autem & hæc & alia multa pro meis non vendito, nec ex mea prodiisse officina jacto; ita ingenuè fateor, me illa debere viro, teste vel ipsa invidiâ MAGNO, FRANCISCO DE LE BOE, dicto SYLVIO, in inclyta Belgarum Academia, quæ Lugduni est, tum in cathedra publica, tum in nosocomio academico medicinæ practicæ Professori dexterrimo; in cujus multifarias virtutes & profundissimam eruditionem prolixius effunderer, nisi eum illa præmiorum super illustres Viros dispensatrix *Fama* longè latèq; nominis celebritate, supra omnes aridioris calami mei laudes jam dudum gloriosè evexisset.

XVII.

Revertor eò unde digressus sum. Podagram, chiragram, dolorem ischiadicum ferè semper à causis jam memoratis; rarissimè, penè dixerim nunquam, à defluxione ortum ducere opinor; cum vias nec ratio nec novacula hæctenus demonstraverit. Homoplatarum vero dolorem subinde defluxionibus ex cephalæâ externâ deberi facilius concessero. Non tamen *Fernelio* subscripserim, qui omnes arthritidis species ex cephalæa externa humoribusq; extra calvariam congestis derivat. Arthritidem verò defluxionibus ex interiori capitis sede factis, viasq; vel nervorum vel alias decurrentibus assignare velle, planè irritum mihi videtur. Sanè hac ratione si moveretur materies arthritica, anteqvam ex capite discederet, apoplexiam, hemiplegiam & postea anginas, paralyses, spasmos aliq; mala generaret. Idem de humoribus extra ventriculos cerebri aut aliunde elapsis & in loco præter naturam, maxime loco nervoso hærentibus sentire videtur summus Hippocrates Sect. VI. aphor. 51. *Qui valentes capitis repente doloribus corripiuntur & protinus muti fiunt ac stertunt, intra septem dies intereunt nisi febris eos prebenderit.* Et in Coacis prænotionibus Coacâ 363. *Angine in quibus neq; in collo neq; in faucibus quicquam apparet, sed qua vehementem suffocationem ac spirandi difficultatem adferunt, eodem aut tertio die necant.* Hoc ob tenuissimam acerrimamq; fluxionem fit, quæ in musculos laryngis interiores profundioresq; nec tactui nec aspectui obvios procumbit; unde fit, ut phlegmone corripiantur, quæ mox distentionem & dolorem cum respirationis maxima difficultate, occlusis nimirum viis, inducit.

XVIII.

Gonagræ dolorem acerbissimum esse nemo mirabitur, qui musculorum tendines & ligamenta circa genu refertissima esse, ac patellam insuper tendinosi & membranosi ligamenti ibidem teneri vel alligari considerabit. Nec ischiadicus dolor huic atrocitate cedit, qui in femore sedem habet & inde per femur ad genu, & hinc ad imum aliquando pedem usque, ratione tendinum musculorum femoralium, membranis obtectorum, ratione item periostii & nervi præsertim quarti crassissimi ex ossis sacri medulla conflati & ad infima excurrentis, descendit. Nec homoplatarum dolor rabie caret. Propè acromion enim humeri est retiformis ille ex cervicis thoracisq; vertebrae prodeuntium nervorum plexus; adde musculorum tendines ac membranas. Membranz ratione nervorum muscoli sentiunt, nervi enim in musculorum membranis absumuntur. Tendines autem & nervosa ligamenta exquisito etiam dolore & ratione horum totum corpus affici posse etsi nulli in eos nervi implantentur; præter puncturæ experimentum, ex passione colica, dolore nephritico, paronychiâ odontalgia aliisque similibus liquet. Periostia etiam ad doloris vehementiam non parum facere per se patet, præsertim si materia dolorifica alte penetraverit. In podagra cur dolor tam acerbus sit, facile patet ex membranaceis & nervo cartilagineis ligamenti exquisitissimi sensus, quibus pedis de-articulationes colligantur. Idem in manu obtinet, quamvis ligamenta pedis & præsertim illa quibus plantæ ossa reliquis coadunantur, subtiliora sint & magis membranosa.

XIX.

Arthritidis calidæ dictæ species aliquando excitatur in locis carnosissimis & profundis, ubi characteres ejus, rubor & tumor, se suis haud produnt indiciis; quamobrem hic prudenti conjecturâ opus & iudicio exacto. Si enim in ischiadico vel homoplatarum dolore æger ardorem in parte unâ cum dolore pulsante aliisque symptomatibus, bilis vitiatæ argumentis, persentiscat, arthritidem calidam esse concludemus. Ad hæc itaq; sedulo attendendum, ne in medicamentorum præsertim topicorum præscriptione hic aliquid inconvenienter aut præposterè fiat.

Tumo-

XX.

Tumores & topi circa articulos generantur ex coacervatâ
ibi materia. Similia coagulationis exempla multa chymia exhi-
bet. Unde notum est ex sale lixivo seu lixivio & spiritu acido,
tam junctim quam seorsim fieri coagulum sive crystallos. Sal lixi-
vus inest bili, spiritus acidus lymphæ & succo pancreatico. Quid-
ni ergo coagularentur ista in loco præter naturali detenta? Nec
alia ratione calculi in renibus aliisque corporis partibus, ut epate
pulmonibus &c. generantur. Salso enim muriatico, quod ex bi-
norum horum humorum confluxu, prævalente tamen sero, con-
stituitur, inest (loquor jam in solo respectu ad corpus humanum)
coagulandi principium, prout in sale lixivo puro, seu fixo seu vo-
latili, vis solvendi latet: hinc talium ad omnes morbos scorbu-
ricos melancholicos & pituitosos ipsamq; adeo arthritidem & ne-
phritidem non ignobilis usus.

XXI.

Cætera arthriticorum symptomata ex humoribus corruptis
facile explicantur. In quibus enim succus acidus primarium ha-
bet vitium, illis alvus ut plurimum obstructa: succus enim pan-
creaticus (excipio tamen diarrheam serosam) alvum semper ob-
struit, quam bilis semper laxat. Appetitus prostratus est à fer-
mento corrupto; somnus impeditus est ab insperato dolorum in-
sultu & frequentissima quietis interpellatione. Sitis aucta ab ha-
litibus est acris utriusq; humoris, qui ad os ventriculi superius
adscendunt, illud vellicant & sitis sensu afficiunt. Urinæ rube-
do quando adest, inordinatum biliosi humoris motum arguit.
Cæterum urinæ ut plurimum sunt decolores & erudæ absq; sedi-
mento, & tunc feri primarium indicatur vitium. Spasmus & con-
vulsio ex acrimonia humorum, cerebri reliquasq; nervosiores cor-
poris partes afficientium & variè vellicantium excitatur. Sed hæc
rarissimè superveniunt.

XXII.

Ex rebus non naturalibus arthriticis, præsertim frigidioribus
nocent primò, Aër Borealis frigidus & asper; ille enim non ob-
scure videtur continere particulas quasdam nitrosas, quæ acidum
in sangvineâ massa augent & lympham acidioram reddunt; hinc

arthritici hactenus liberi, flante vento Boreali, aut aliàs tempore autumnii & ingruente hyeme ut plurimum recidivam patiuntur. Secundò, Alimenta tam quantitate quam qualitate, hoc est acrimoniâ, aciditate & salugine peccantia. Nocent ergo vina Hungaria, Moravica, Rhœnana, aliâq; quæ Tartarum vel multum habent, vel nondum deposuere, vel ægrè saltem deponunt: nocent & alia quævis in gypseo solo provenientia, præsertim rubella quæ passim in Boreali Germaniâ nascuntur: carnes muris salitæ & fumo induratæ, carnes anserinæ, suillæ, animalium extrema, pisces & præcipuè marini, Cyprini peculiari quadam antipathiâ arthriticis infestissimi esse dicuntur. Tertiò vigiliæ nimix & lucubrationes; hæ enim omnes in corpore humores reddunt acriores, prout somnus longior humores lentore vitiat. Quartò, motus nimis aliquo modo obsunt, moderati profunt. Equitatio cruribus pendulis & absq; stapedibus diu continuata insigni est nocumento. Quintò Vesana libido. Hinc *eunuchi podagrâ non laborant nec calvi fiunt*, ut docet Hippocrates: & eodem dictatore; *puer podagrâ non laborat ante Veneris usum*. Ratio cur immodica Venus arthritidis fomentum sit, est, quòd eâ dissipentur animales spiritus, qui aliàs, ne crudi humores fiant, impediunt, factos verò contemperant. Huc etiam pertinet menstruorum retentio atq; hæmorrhoidum suppressio. Hinc Divinus Senex Sect. VI, aphorismo 29. *Mulier, inquit, podagrâ non laborat nisi menstrua ipsam defecerint*: Et Sect. V. aphorism. 57. *Menstruis abundantibus morbi eveniunt, ac subsistentibus accidunt ab utero morbi*. Idcirco uterq; fluxus studiosè promovendus; id quod de hæmorrhoidibus idem inculcat Sect. VI. Aphorismo undecimo: *Melancholicis & nephriticis hæmorrhoides supervenientes bono sunt*. Sextò Affectus animi graviores, tristitia imprimis & ira. In ira bilis, quod notorium est; in mœrore & animi ægritudine omnibusq; affectibus tristioribus, metu, terrore Panico &c. succus acidus movetur, ut per certissimam Francisci Sylvii experientiam constat. Qui enim rerum humanarum tædio, aut alioqui adversantis fortunæ inclementiâ victi animum mœrore macerant, inq; luctu ac squalore perpetuo vivunt, melancholicis affectibus, id est, succo acido & pituitæ debitis affligentur, quos faciliè declinabunt illi, qui animo sunt præsentiori, nunquam non festivi & hilares. Re-

XXIII.

Restat jam distingvere dolores ratione causæ efficientis, ut inde, qui medicaminibus retundere istos volet, eò tutius procedat, certoq; & indubitanter sciat, quinam humores & quânam potissimum qualitate peccent; ut exinde rationalis & dogmatica curatio instituat, procul Andabatarum procedendi modo, qui in tenebris hastam vibrant & auras gladiatorum ictibus in vanum læcesunt. Dolor itaq; ardens bili & acriori & pingviori debetur in arthritide calidâ, ubi tamen vix unquam fiet, quin succus acidus non simul sit affectus & quidem primariò. Dolor obscure urens ac rodens fit, quando bilis acrimoniâ salinâ peccans cum succo pancreatico humorem salsum rodentem constituit. Dolor algens in regione lumbari oritur à succo acido acriori: perterebrans & fixus in articulis totoq; insuper corporis habitu natales suos debet acido pituitæ immisto. Dolor contorquens & constringens in abdomine aliquando occasione febrium arthriticarum afficiens, originem ducit à succo acido in austerum jam degenerante. Dolor lacerans ac sine ardore rodens in articulis & lancinans in habitu corporis producantur à succo acido puriori & vix aliis humoribus immixto. Dolor contundens ex pituita cum paucò acido juncta proficiscitur. Dolor gravitatis lassitudinisq; sensu comitatus pituitam viscidam pro causa habet. Dolor lancinans ac vagus in arthritide vaga & scorbutica generatur ab utriusq; humoris halitibus acrioribus per corpus dispersis. Ipsos quoq; in substantiâ humores dolori huic, præsertim diuturniori præesse, attentò facile patet.

XXIV.

Prognosin quod attinet; in proclivi est, ut arthritidis recens subigatur, modò ægri suæ ipsorum salutis sint studiosi & primis invasionibus opem medicam implerent. At si insultus illos primos parum pensi vel planè neglectui habebant, facile postmodum Furia hæc vilipendium sui acerbioribus ineurSIONibus ulciscitur. Labefactatis verò jam artubus & laxatis ex frequenti paroxysmorum invasione articulis, ardua magis est curatio; sæpiusq; tantùm non irrita. Neutiquam tamen destituendi ægri: Quandoquidem

Nil

*Nil mortalibus arduum est,
Perrupit Acheronta Hercules labor.*

Medicus verè medicè eruditus malum etiam hoc, quod aliàs medicorum opprobrium audit, lætâ triumphabit adorcâ, modò firmisimas planè radices humano corpori nondum impegit, nec articulorum motum cum gravissimorum symptomatum accessione in totum vitiaverit.

SECTIONIS TERTIÆ.

§. I.

Hisce absolutis curatio arthritidis ea quâ fieri poterit brevitate adjicienda. Cura autem universalis tribus absolvitur. *Primum* est contemperatio & correctio humorum, salsi ac acidif, incisio visceri ac pituitosi: *secundum*; humorum vel copiâ peccantium vel ita corruptorum ut ad statum naturalem redigi nequeant, eductio: *ultimum*; loci affecti externa medicatio. In curationis autem doctrina ut methodicè procedam, medicamenta non eo ordine quo administrantur, sed quo commodius docentur, proponam. Liqueat enim per se anodyna tum interna tum externa urgente dolore aliis alterantibus esse præmittenda. Vomitoria quoq; aliterve evacuantiâ sæpe præcedunt alia humores corrigentia. Et sic de reliquis.

II.

In arthritide, potissimùm frigida, hoc est, ex acido & glutinoso seu salso muriatico aut his inter se variè mixtis humoribus ortâ, pro interna cura feliciter satis medebere, *Primo*: Salibus lixivis tum fixis tum volatilibus, eisq; tam solidis quam liquidis: *Secundo*, Aromaticis omnibus, omnibus amaris, sale volatili præditis & ex regno vegetabili petitis. Proficua sunt & thermarum sulphurearum potiones.

III.

In prima classe præcipua sunt Vitriolum Martis, Tartarus Vitriolatus, Sal febrile Sylvii, Borax, & salia plantarum omnia; inter quæ excellunt Sal *Asari*, Cardui benedicti, absynthii & Centaurii minoris, urinam & sudores moventia omnemq; materiam arthriticam non segniter opprimentia; huc pertinet & Chalybs in
subti-

subtilissimum pollinem redactus inque variis medicamentorum
formulis, pulvere, morsulis &c. exhibendus, & hæc sunt salia
fixa. Inter salia volatilia primas tenent Sal volatile succini, Cor-
nu cervi, Viperarum, Salis Armoniaci, osium humanorum alio-
rumq; animalium. Sal volatile osium juvenis bene sani & vio-
lentâ morte extincti reliquis omnibus præfert *Paracelsus*; & in
chiragra quidem ossa manus, in podagra pedum ossa commendat.
Salibus volatilibus sunt qui accenseant salia essentialia plantarum
ex succo earundem cum spiritu roris fermentato artificiosè præ-
parata, colore viridia & virtutem totius plantæ in exiguas portio-
nes concentratam habentia, magnæ virtutis & in arthritidè & in
aliis quibusvis melancholicis affectibus levandis. Ad salium es-
sentialium censum aliquibus referre allubescit *Magisteria solubi-*
lia: quæ autem in arthritide præ aliis valent, sunt *Magisteria per-*
larum, corallorum & oculorum cancri resolubilia & cum spiritu
Veneris juxta *Zwelfferum* elaborata. Vera quoque Corallorum
tinctura quin multa & magna præstet nullum est dubium. Sal vo-
latile succini per acohol vini extractum cum partibus duabus Spir.
Salis Armoniaci rectificatissimi & una Cornu cervi mixtum, le-
niss. calore aliquandiu digestum, posteaq; addito in antecessum
tantillo ambre & moschi in vitro exquisitè obturato reservatum,
si ægris in omni ipsorum potu propines, morbos hypochondria-
cos, nephriticos, podagricos, eo valenter domabis: urgentibus
dolore & pervigiliis aliquid laudani ad dolorem sopiendum & so-
mnum blandiorem invitandum prudenter adjeceris. Vehiculum
erit cerevisia communis tenuis & lupulo bene imprægnata vel
medicata aliqua. Præstat vinum Gallicum radice *Cariophyllatæ*
& foliis *melissæ* factum aromaticum. Essentia Martis Corallina
Zwelfferi cum spiritu vini Tartarificato seu tinctura Tartari in Aqua
Anhaltina & spiritu lumbricorum; dilutis, si opus, aquâ *Ivæ ar-*
rheticæ & *melissæ*, magnæ & ferè stupendæ est virtutis tum in sim-
plici tum in tophacea nodosâq; podagrâ. Huc quoq; pertinent,
Arcanum Tartari philosophicum, quod exstat in tyrocin. *Beguini*
cum notis *Glückradii* inter operationes circa sanguinem humanum,
& *Tinctura Antiarthritica Timæi*, medicamina, quæ virtute se sua
sat omnibus commendabant. Vitriolum Martis ingentem habet

D

visci-

vifcidum fimul & acidum incidendi alterandiq; vim : hinc in omnibus melancholicis & scorbuticis morbis magni nominis Medicis medicamen est veluti primipilare. Convenienter exhibetur in pilulis. Tales ex gummate aliquo v. g. Opopanace five Galbano, five Ammoniaco in aceto foluto & modicè iterum in fpiſſato, additis vitriolo Martis, caſtoreo myrrha & croco, five in ſubſtantia five in extractis, ut &, ſi evacuare ſimul libeat, extracto trochiſcorum Alhandal, Diagrydio vel Refinâ gialap. cum aliquot guttis olei cortic. citri, aut juniperi, aut nucis moſchatae concinnè efformantur, in omni arthritidè frigidiori & præſertim in iſchiadico dolore convenientiſſimæ. Generoſiſſimus *Robertus Boyle*, Eques Britannus, in eruditifſimo tractatu ſuo de Coloribus, elaborationem Tincturæ Sulphuris volatilis recenset, quam in medicamentorum antiarthriticorum ferie agmen haud claudere certò ſcio.

IV.

Secundam juvantium claſſem conſtituunt Aromatica omnia, omnia amara & ſale volatili innoxio prædita ex plantis deſumpta. Præcipua ſunt : LIGNA : Aromaticum ex India Orientali, *Lignum Saffras*, Laurinum, Guajacam, Xyloaloès, juniperinum. RADICES : *Aaronis*, acori, ranunculi bulboſi, Oſtruthii, Polſadilla, Helenii, Eryngii, *peucedani*, poeonix, *Lappa* majoris, coſti utriusque, præſertim dulcis, *Aſari*, Angelicæ, Podagrariæ, Ireos Cyperi, *Zedoaria*, Ononidis, Valerianæ, dictamni, Gentianæ, Smilacis aſperæ, Chinæ, *Sarſæ Parilla*. FOLIA : Malabatti, Lauri, *Bacca Lauri*, juniperi. HERBÆ : *Rosmarinus*, *Salvia* noſtras & Romana, *Meantha*, *Meliſſa* noſtras & Turcica, *Chamedrys*, *Satureia*, *Thymus* Teucrium pratense, *Scordium*, *ruta*, *abrotanum* *absynthium*, *betonica*, *Aſcyrum*; *becabunga*, *agrimonia*, *Eupatorium*, præſertim *canabinum mas*, *Tanacetum*, *Origanum*, maximè Creticum, *Herniaria*, *Chamæpitys*, *cochlearia*, *centaurium minus*, *nasturtium ſerpillum*, *Sampſuchus*, *pulſatilla*, *fumaria*, *Oſtruthium*, *ſœniculum*, *barbarea*, *verbena*, *chelidonium majus*, *carduus benedictus*. SEMINA : *Urticæ*, *Sinapios*, *nigellæ*, *nasturtii*, *eryſimi*, *erucæ*, *hyperici*, *Dauci Cretici*, *petroſelini Macedonici*, *fileris montani*, *ſeſeleos mas ſilienſis*. Aromata omnia. GUMMATA ferè omnia & lachrimæ complures, præſertim *opopanax*, *Storax Calamita myrrha* & *aloe*. Inter

Inter illa quæ ab animalibus desumuntur excellunt Castoreum & lumbrici terrestres.

V.

Ex his omnibus parantur varia medicamentorum formula. Extracta ex Chamæd. Chamæpyti, radice & foliis Polsadilla, ligno Guajaco Sasfras, radicibus helenii, pocon, Zedoar, valerianæ, gentianæ rubræ. Ex rore marino confit aqua antipodagrica *Prævotus*; ex Salvia aquam antiarthriticam compositam proponit, *Schroderus* Lib. 2; ambæ commendari merentur. Ex asaro, Ononide, carduo benedicto & centauro minore salia fixa parantur magnarum virium & diuresi & diaphoresi arthriticam materiam expellentia. Ex absynthio, salvia, ruta rore marino olea destillantur, tam internè quàm externè adhibenda. Ex ruta, scordio, absynthio, cochlearia, Chelidonio majore reliquisque succulentis salia essentialia elici possunt magnæ virtutis in arthritide curanda. Ex carduo benedicto & Polsadilla cum toto, essentia per spiritum vini facilè præparantur. Ex ligno Guajaco, baccis juniperi, lumbricis terrestribus, tum ex pulsatilla, barbaræ nasturtio, becabunga, salvia serpillo, centauro minore spiritus confiunt potentes, tum simplices tum Alkalifati sive essentificati. Ex aromatis v. g. macere, nuce moschata, cariophyllis, cinamomo olea in officinis prostant & aquæ vitæ. Ex mentha, fumaria, foeniculo, chamædri chamæpyti, carduo benedicto betonica, aquæ per fermentationem factæ syrups & conservæ constituuntur. Ex Tereb: & aloë purificatis, addito extr: hermodactylor. & Salibus sive extractis Chamædryos, chamæpytios Centaurii minoris aliisque idoneis speciebus componuntur Pilulæ arthriticæ *Rhasis*, *Horstii*, *Riverii*, *Sebizii*, *Döringii*, *Timæi* & aliorum quæ in omni ferè arthritide auxilio sunt, nec remissè subveniunt. Ex radice acori, helenii & athanasia (quam specificam esse prodidit *Castor Durantes*) condita præparantur.

VI.

Illorum jam memoratorum aliquot species commodè misceri & in varias formulas pro medici judicio & ægri palato concinari possunt. Sic aquæ, olea, (præcipuè macis ac cariophyllorum quia in liqvore dissolvuntur nec supernatant) spiritus & syrups, cum spiritu volatili salis Armoniaci & tinctura cinamomi vel ca-

storei, additis si opus tribus quatuorve granis laudani opiati, elegantes non minus quam efficaces constituunt mixturas servatâ omnium dosatione justa & proportione convenienti. Spiritus Sals Armoniaci dextrè præparatus præ aliis efficacissimè operatur. Hæ mixturæ non simul & semel, sed cochleatim, post unius aut sesquihoræ intervallum sæpius assumptæ humores in massa sanguinea sensim alterant, & noxia quæq; tam per urinam quam sudores ut & insensibilem transpirationem agillimè expellunt, adeò ut solis istiusmodi formulis inèuntes non tantùm sed & provectiores arthritides absqve insigni aliqua difficultate curentur. In decocto radicis Bardanæ si spiritum diureticum ex nucleis Persicorum, tincturam Tartari & olei ceræ guttas aliquot disolveris, atq; illud ita propinaveris, morbum diuresi efficaciter castigabis. Bene tamen hic advertendum, ne ista nisi corpore prius bene purgato exhibeantur. Siqva decocta arriserint, poterunt illa ex ligno Sassafras, juniperino, radice asari vel peucedani, foliis centaurii chamædryos & chamæpytios, additis baccis aut lauri aut juniperi & seminibus sileris montani ac seseleos Masiliensis confici, & in colatura dissolvi syrupus Card. benedicti, tinctura cinamomi vel tinctura granorum Kermes cum anatica quantitate spiritus vini & spiritus salis Armoniaci facta, vel etiam mixtura simplex, vel deniqve Elixyr proprietatis Paracelsi cum spiritu salis dulci factum, hoc enim illo quod vulgari methodo præparatur decuplo & gratius & potentius est. Multùm quoq; ad arthritidem subjugandam præstat decoctum solius Chamædreos in vino factum, singulis matutinis assumtum, corpore interea ad levem sudorem composito. Vinum hoc Carolo V. Imperatori admodum commendârunt Medici Genouenses; & testatur *Solenander*, plurimos, qui hoc vinum per 60. dies bibissent, penitus fuisse liberatos. Ex ligno Sassafras, radice asari vel peucedani, foliis Chamædryos chamæpytios & Centaurii minoris in aqua vel vino decoctis, additis postmodum Sympo cardui benedicti. & aqua aliquâ Theriacali egregium fit decoctum antiarthriticum & sudoriferum: Sudoriferis enim & diureticis in his aliisq; pertinacioribus malis maximoperè indigemus. Diuretica præ cæteris arthritidem expugnare implicitâ consequentia docet *Divinus Senex* Sect. IV, Aphorism. 74. *Quibus spes est ad artium.*

articulos abscessum futurum, eos abscessu liberat urina multa crassa & alba reddita, qualis in febribus cum lassitudinis sensu quarto die quibusdam exire incipit. Et iterum Aphorismo LXIX. Quibus non sine febre urine sunt crasse grumosa & pauca, si ab his tenues & copiose mijantur, profunt. Appositè ex radice Aaronis, helenii & athanasia, foliis chamædryos & chamæpytios floribusq; Betonicae & magisterio solubili oculorum cancri adjectâ sacchari Canariensis seu elæosacchari Cinamomi Q. S. tragæa formatur, quæ manè vesperi & meridie sumta ad subigendam hanc arthritidem facit; maximè, si superbibatur aqua vitæ cum spiritu salis dulci. In sedandis acerrimis doloribus Laudano opiato, & quidem eo, quod per acetum destillatum post sulphuris narcotici in scutella ferrea exhalationem præparatur, nullum est aut certius aut tutius remedium. Quomodo adhibendum, hic denuò proponere supervacaneum foret; cùm illud supra jam consignatum sit. Laudanum sine opio, sulphur vitrioli anodynum dictum Chymici faciunt, quod qui dextrè elaborare noverit, in sedandis doloribus efficacem habebit simulq; planè innocuam medicinam; hæc enim anxietates & angustias circa præcordia tollit, effervescentias vitiosas confestim cohibet ortosq; hinc dolores sopit, inquietudinem animi componit, corporis agitationem sistit & blanda quiete ægrum permulcet. Si verò æger consuetas & supra propositas cum laudano mixturas aliquando aversetur, atque ex dolorum impatientia in aliam medicaminis formulam novaturiet, leniendi doloris & inducendi soporis gratiâ emulsio præscribatur ex hordeo mundato & cocto, amygdalis dulcibus ac semine papaveris albi: In cujus colatura dissolvi poterit Syrupus Diacodii cum IV. vel V. granis laudani opiati & aliqua parte aquæ cinamomi ad gratiam. Sumatur iteratò, donec dolores remittant & somnus obrepat.

VII.

Quia verò omni conamine id eniti debet Medicus, ut nihil intermittatur quod ægri curationem accelerare valeat, sex rerum non naturalium accuratam habebit rationem. Interdicat ægro omnibus illis quæ paragrapho 22. Sect. I. vitanda esse dixi. Et primò, quantum ad aërem attinet, jubeat ægrum abstinere aëre

D 3

aspero

aspero frigido ac Boreali & contrà uti temperatiore, aut naturali, aut arte parato. Secundò, alimenta sint euchyma, eupepta boniq; Succis, nec in his sordidiùs tuburcinetur arthriticus, sed moderatè illa sumat, ut orexis semper integra maneat. Audiatur hìc *Summus Hippocrates* qui Sect. IV. Aphorism. 45. *Quibus tubercula ad articulos vel dolores post febres diuturnas fiunt, ii cibariis pluribus utuntur.* *Ludovicus Nonnius* Diætetici lib. I. Cap. II. rationem, cur ditiores & magnates assiduo calculi & podagræ doloribus vivant obnoxii, ex pane similagineo reddit; cujus lentorem & dulcedinem, maximè si cum lacte subactus fuerit, viscerum obstructionem invehere refert, quæ postea in arthriticos & nephriticos morbos degeneret. Satiùs itaqve foret confusaneo pane vesci, qui ob furfuris miscellam minus obstruit & faciliùs per alvum secedit, ut bene quoq; observavit *Simon Sethi*. De Cypriis testatur *Julius Alexandrinus* Libro 15. Cap. 6. quod illis comestis arthritico cuidam podagra semper fuerit parata. Ad saliendo cibos utatur sale illo *Plateri* ex sale communi, nuce moschata, radice pirethri foliisq; salviæ & majoranæ. Pro potu poterit sumere cerevisiam aliquam medicatam, aut vinum Gallicum aromatizatum. Præstans est vinum squilliticum sale aliquo volatili oleoso per artem Chymicam scitè parato imbutum & subinde tantillo ambre gryseæ exaltatum; quod, ædepol, si tam inter prandendum & coenandum quàm aliis etiam temporibus intermediis assumatur, citò tutò & jucundè integram arthritidis non nodosæ curationem absolvit, interjectis tamen tempore deficientis aut occultatæ Lunæ purgationibus convenientibus. Nec huic cedit Elæosaccharum cochleariæ ab *Excellentissimo Rolfincio*, *Academiae Jenensis* Professore celeberrimo propositum, in libro quem inscribit Chymiam in artis formam redactam. Huc pertinet & saccharum Martiale aperiens ab eodem ibidem laudatum & in spiritu cochleariæ limpidiori in prandiis cœnisq; usurpandum. Teneris & delicatis, qui nihil nisi quod quadratum & compositum sit admittunt, ut sal volatile oleosum maximè competit, ita & non posset non illis arridere Elæosaccharum ex manibus Christi perlatis, oleo destillato cinamomi, corticum aranniorum & nucis moschatae, confectioe alchermes Montepesulanâ, ambra grysea

sea & Moscho paratum, itidem pastus tempore in clareto aut alio aliquo vino medicato hauriendum. Rotulæ ac morsuli palato grati pro ægri lubitu ac orexi ex speciebus convenientibus formabuntur. Tertio Vigiliæ ne sint nimia. Quarto Exercitia corporis sint moderata. Quinto supersedendum lascivis amplexibus & largiores intentati haustus excusandi. Si quæ solitæ evacuationes aut hæmorrhoidum aut menstrui sanguinis suppressæ sint, diligenter promoveantur, inde enim hæ lachrimæ. Quin imò venarum hæmorrhoidalium apertio arthriticis, scorbuticis, melancholicis, quartanariis magno sæpe fuit levamini; excidit enim hinc sanguis lentus crassus & sanguinosus qui aliàs ad massam sanguineam & hinc ad articulos remeâset. Reserabuntur itaque tumentes hæmorrhoides frictione per hispida borraginis aut buglossi hirsuti folia. His opem denegantibus, hirudines applicandæ & medicamenta aloëtica internè usurpanda. Alvus etiam toto tempore laxa seruetur vel decocto prunorum & foliorum senæ, vel morsulis laxativis vel suppositoriis. Sexto, abstineatur iracundiâ nec circa levia quævis mens effervescat Stomachabunda. Vitentur animi sollicitudines & caperata frons cum exporrecta hilariq; commutetur. Nunquam enim studia profanæ plebis, ludibria rerum humanarum, & illæ jam calamitosæ jam funestæ vicissitudines tantum in nos valere debent, ut animum de statione sua ita dejiciant, quin sibi parum aut nihil constet. Sabarrandus est philosophiæ præceptis hic animus ne rerum tempestate jactetur. Ac, ut viri magni & excellæ doctrinæ, *Justi Lipsii* verba mutuer λόγῳ opus est non βεβήχῳ. Animo, quamdiu vivitur, oportet esse invulnerabili & obfirmato contra omnem fortunam. In hoc nati sumus ut jactemur: Stultum itaq; est querulâ molliæ vitare velle id quod effugere non datur. Rectè *divinus Seneca* Epistola VIII. *Philosophia servias oportet ut tibi contingat vera libertas: & prudenter epistola quartâ; faciamus nobis jucundam vitam omnem pro illa sollicitudinem deponendo. Sed redeundum mihi erit in pulverem meum.*

VIII.

Extra duas illas classes in quas medicamenta arthritidis frigida interna superius dispescui, alia adhuc ex mineralibus & metallicis

tallis in censum veniunt. Sunt qui mercurium sublimatum dulcem oleo sulphuris per campanam largiter irroratum admodum extollunt in arthritide curanda. Nec mirum: In Mercurio enim ritè & decenter præparato inest vis restaurandi labantem naturam humanam & multis eum melancholicis, serosis ac pituitosis morbis miserè conflictantem. Conficiunt autem pulverem ex floribus sulphuris compositis, mercurio dulci oleo sulphuris per C. irrorato, antimonio diaphoretico & sale Ononidis aut cardui benedicti fixo, addito subinde magisterio solubili lapidum cancri; eumq; magno cum successu primò singulis diebus, deinde alternis, postmodum tertio quoquo die usurpant; & nihil præterea nisi purgans itidem peculiare ad integram arthritidis curationem absolvendam adhibent. Malunt alii pulverem hunc additi Mercurii causâ in forma boli dare: nec hi quidem malè. Facile ergò ad horum mentem cum conserva aliqua v. g. anthos aut chamæpytios aut betonicæ misceri & exhiberi poterit; quamvis in primo procedendi modo parum aut nihil sit quod de mercurio metuemus; quandoquidem aliis immixtus & oleo insuper conspersus non tam facile aut gulæ aut stomacho aut intestinis adhærebit, præsertim si jusculi haustus superassumatur, aut vehiculum aromaticum, in quo sumitur, superbibatur. In forma pilularum idem pulvis non inconcinne exhibebitur. Qui hujus medicamenti vires experti sunt nomine Salis philosophorum illud nobilitarunt, quem honorem nec ego ipsi negabo. Alium vidi qui nomine theriacæ mineralis illud insigniebat. Et sanè, si attentius contempler mur id quod *Basilius Valentinus* Chymicorum suo tempore maximus & Frater Ordinis divi Benedicti de philosophorum sale nobis reliquit, luculenter constabit, nostram hanc medelam parum ab illo discrepare. Ad operandi rationem quod attinet, hæc antidotus in paucissimis salivales glandulas movet, in plurimis per sudores & urinas operatur, aliis alvum leniter subducit prætereaque insensibiliter per habitum corporis ac cutis poros evacuat. Quod si quis autem species superiùs traditas elaboratiores habere gestiat, loco Mercurii dulcis, Mercurium diaphoreticum Schröderi ex mercurio dulci cum Lunâ foliatâ factum, loco Antimonii diaphoretici Bezoarticum minerale vel alium aliquem fixissimum pariterq;

in

in omni liquore solubilem ex Antimonio pulverem, loco salis fixi Ononidis aut cardui benedicti alterutrius sal essentialis, & omis-
sis floribus sulphuris Tartarum vitriolatum sumere poterit, com-
positumq; hoc postea in formula aegro accepta, pilulis, bolo, pul-
verève exhibere. In frigidiori autem arthritide dupla sit mercu-
rii ad Antimonium proportio, reliqua convenienter addosentur.
Sumtis v. g. Mercurii diaphoretici granis VIII. Bezoart. mineralis
grana IV, salis essentialis cardui benedicti & Tartari Vitriolati ana
grana VI. adjiciantur, pro dosi. *Petrus Poterius*, medicorum hu-
jus ævi Sydus, Archiater *REGIS CHRISTIANISSIMI* duo in opere
suo proponit medicamenta antipodagrica, quorum alterum *Ibe-
riacam Metallorum*, alterum *Specificum podagricum & Aurum diapho-
reticum* vocitat; quæ utraq; ab istis formulis parum recedere li-
quidò patebit inquirenti; Mercurius & Antimonium potissima sunt
ingredientia. *Joannes Faber* Chymiater experientissimus *Myro-
thecii sui Spagyrici* Curatione 77. ischiadicum quendam ab aliis me-
dicis derelictum curat antimonio purgante per sex dies continuos
alternâ unius diei quiete intervallatos exhibito; inungendo in-
terea partes dolentes oleo ceræ & essentiâ ossium humanorum;
quibus solis medicamentis septidui spatio convaluit æger; quem
curatione 84. addit, confectâ purgatione usum quoq; fuisse Mer-
curio diaphoretico rubeo fixo, ut per sudores reliqua pars Tartari
eliminaretur. Quæ celebrium in arte virorum exempla & cura-
tionum historias ideo adduco, ne quis de Antimonii & Mercurii
circa arthritidem virtutibus habeat dubitare: modò dextrè præ-
parentur & ab experto eruditoq; medico suo tempore & loco ju-
stâq; dosi exhibeantur: his neglectis venenum sunt & sæpe dele-
terium.

IX.

Quod si in ægris arthriticis bilem salis lixivum unâ cum pri-
maria arthritidis causa succo pancreatico nimirum peccare obser-
vemus, & hoc ex urina intensè flavâ, pulsu robusto, corporis a stu-
atione, siti, alvo laxa, cephalalgîâ, doloribusq; urentibus & cum
ardore rodentibus colligamus, Mercurium & Antimonium non
anaticè, sed hoc supra illum dosabimus. Quemadmodum enita
Mercurius acidum & pituitam sic Antimonium bilem respicit, nec
E unquam

unquam (ut rectissime docet *Oswaldus Crollius*) cura feliciter procedit his non ritè observatis. Præter antimonium diaphoreticum verò & Bezoarticum minerale alia magis adhuc celebrata medicamina ex antimonio elaborant Chymici, ut sunt oleum Antimonii dulce *Philip. Mülleri*, Tinctura seu Essentia antimonii *Joanni Hartmani*, quæ & in sanandis arthriticorum contracturis palmam facile præripit omnibus aliis medicamentis: Extractum Solis transparentis *Hartmani* cum arcano filicis propinatum; quod podagricos perfecte juvat ac à dolore simul & morbo liberat: Pulvis mirabilis *F. Basilii Valentini* ex vitro antimonii simplicissimo, primò cum aceto, deinde per spiritum vini prolectus. Ex regulo antimonii absque omni additione & adulteratione factò perq; nitrum vitriolatum ter fuso & purificato, ope rectificatissimi è Nitro spiritus, evocatur pulvis croceus, fixissimus, in omni liquore solubilis, tantæ efficaciz in omnibus morbis bilosis & melancholico cholericis reliquisq; talibus sanguinis purificatione indigentibus, ut non immeritò magni fiat feraturq; (ut ajunt) in oculo ab expertis.

X.

Sed & extra antimonium alia arthritidi huic convenientissima medicamenta conflare norunt Chymici nobiliores. Inter hæc primum meritò locum obtinet spiritus salis dulcis solaris, sive solis tincturâ imbutus. Et hic est ille spiritus quem tot tantisq; encomiis deprædicat *F. Basilii Valentini*, quemque ab ipso vero auro potabili parum aut nihil abesse dicit. Ac sanè, ipse purus & simplex spiritus salis dulcis quantum in arthritide, præsertim illa quæ bilis vitio comitatur, subjugandâ valeat, loquuntur exempla; si verò insuper solis tincturâ imbuatur, non est quòd trivialia sibi quis inde promittat. Huc refer oleum sulphuris per campanam, spiritum nitri dulcem, spiritum salis Armoniaci rectificatissimum & Sal volatile seu flores ejusdem salis, ut & Tartarum vitriolatum cum magisterio solubili perlarum & oculorum cancri. Nec vilia præstant sulphur & tinctura Lunæ, tum in frigida tum præsertim in calidiore arthritide. Quæ à purè Galenicis desumas potissima sunt: Decoctum ligni lentiscini, betoniæ cum floribus, chamæpytios fumariz & aliorum. Parari etiam decocta possunt ex
Taraxa-

Taraxaco, cichorio, tamarindis, acetosa, acetosella, trifolio acetoso, addito quoq; subinde sempervivi majoris succo: in colatura decocti dissolvantur Syrupus Portulacæ, acetositis citri & succus mali citri; vel syrupus rosarum solutivus, aut syrupus de cichorio cum Rheo, aut syrupus fumariz, ad bilem à sanguinea massa separandam & per epicrasin educendam, ne febres synochas ulterius accendat, & phlegmones erysipelatodeas sibi metipsum relicta efflorescere faciat. Thermæ quoq; nitrosæ coaguli expertes conducunt.

XI.

Quando hoc labore me exsolvi, ad nodosæ arthritidis curationem internam me accingo. Sed hoc iter ingresso occurrit Ovidius suo hoc disticho:

*Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.*

At dicat quicquid velit Naso. Nostro hoc ævo id culminis ascendit hominum industriorum solertia, ut in hoc etiam negotio ea præstet quæ majoribus nostris negata fuere: ubi tamen strigosa & diuturnæ arthritidi nodosæ conflictata senum corpora excepero. *Hollerius* in Aphorismum Hippocratis Sectionis VI, 49. & *Schenckius* Observationum Medicinalium lib. V. de arthritide, uterque exempla proponunt arthritidis & nodosæ & hæreditariæ feliciter curatæ. Præter illa autem quæ superius ex plantis nobilioribus, gummatibus, antimonio & Mercurio proposui, commendaverim spiritum Nitri, semina Thlaspios, bursæ pastoris & Perficariam flore spicato acrem, Hæc enim illa sunt quæ omnem calculosam materiam, sive in renibus, sive in pulmonibus, sive in epate, sive in bilario ductu hærentem valenter & à proprietate dissolvunt; in vulgus non adeò nota eoque magis asterisco notanda. De spiritu Nitri si metuamus ne tenerioribus corporibus noxam aliquam impingat, cum vini spiritu circulari ac dulcificari poterit: quamvis, modò justâ dosi exhibeatur, vix unquam molestias homini creet: reliqua in varias medicamentorum formulas concinnanda. Perficariæ aqua per fermentationem facta ejusdemve syrupus commodè usurpatur. Semina thlaspios & bursæ pastoris cum magisterio solubili oculorum cancri ac tantillo Tartari vitriolati pulverem constituere poterunt. Innotuit mihi Empiricus



cætera non indoctus qui extractum millepedum spiritu salis dulci factum cum sale busonum volatili pro igenti habebat arcano in omni arthritide etiam illa quæ ad nodosam declinabat, citò curanda.

XII.

Quod si his machinis topi nodiq; non occumbant, ad fortiora erit transeundum: Essentiam Martis corollinam *Zwelferi*, spiritum salis Tartari & Calcis vivæ, spiritum Nitri rubellum ex Calce viva & Sale Tartari fortissimè calcinatis prolectum, solutiones crysalli aliorumq; lapidum pretiosorum spiritu calcis vivæ factas. At hæc omnia circumspectè & prudenter usurpanda nec, nisi simul adhibitâ toporum curatione externa, si topi nodiq; sint majores nec solis medicamentis internis expugnabiles. Paratur & alius spiritus ex Nitro, calce viva, sale Tartari & sale Armoniaco, cujus virtutem in solvendo summam non semel expertus est vir nunquam satis laudatus *Joannes Walæus*, Anatomicus accuratissimus, in Academia Lugduno Batava praxeos medicæ olim Profesfor celeberrimus, nunc in cœlestium concilio collocatus. Hic, cum in puero tam renum quàm vesicæ calculo laboranti spiritu hoc aliquandiu fuisset usus, eiq; suppetias tulisset ingentes, factum, ut calculi pars præter spem soluta in urethram violento impetu prorueret, quod adeò infestum fuit misello puerulo, ut inter insignes angustias & ineffabilia tormenta, (cum lapis tam repente extrahi nec colis inflatione nec alia ratione posset) accedentibus convulsionibus & spasmo cynico exspiraret. Hoc fati fuit, quod hac in parte declinare supra omnem erat & peritiam & prudentiam. Dum in vivis fuerat puer, quotidie sabulum Tartareum cum urina emiserat copiosum atq; ingens senserat levamen. Morte obitâ cum dissecaretur, calculus in vesica maximâ sui parte disolutus ac quotidie elutus apparuit; & res omnimodè prosperrimum sortita fuisset eventum, si subitaneum illum calculi resoluti (hactenus quidem nondum firmissimè concreti) impetum mitioribus auspiciis benigna fata avertere voluissent. Hoc saltem inde apparet, magnam & mirabilem huic spiritui inesse solvendi virtutem. Et novi magni nominis Medicum, qui arthriticis, recenti adhuc malo, isto medicamine foeliciter succurrebat, materiaq;

riaq; propè articulos coagulationem hac ratione prudenter ante-
vertebat. Si quis autem ægris suis de his ardentissimorum salium
spiritibus omninò metuendum esse putet, ille spiritum vini Tarta-
rifatum, aut Tincturam vel sulphur Tartari quotidie ex vino usur-
pandum præcipiat; hujus enim efficacia etsi non eadem cum an-
tecedentibus, ea tamen est, quam, cur asperneris, habeas minimè.
Hactenus ergo medelas internas tradidi, primò, arthritidis absque
notabili bilis vitio homini incommodantis, secundò arthritidis
cum notabili bilis vitio hominem urgentis, & tertio arthritidis
nodosæ. Jam ordo exigit ut præmissis anodynis & purgantibus
topica ejusq; arthritidis potiora usq; comprobata atexam.

XIII.

Specifica purgantia phlegmagoga, cholagoga, hydragoga,
melanagoga notissima sunt, nec ideò hoc loco prolixius deducen-
da. Quæ autem præ aliis arthritidi frigidiori conveniunt, sunt pi-
lulæ ex Gummi Ammoniaco in aceto soluto, Mercurio dulci, ex-
tracto trochiscorum Alhandal & oleo succini paratæ. Conducunt
& pilulæ foetidæ, cochix, addito jam Diagydio jam resinâ gialap-
pæ, hac in majori, isto in minori quantitate, prout nimirum cum
succo pancreatico tanquam primaria arthritidis causa bilem ma-
gis minusve peccare deprehendemus. Potentes sunt Pilulæ de
Euphorbio & de Sagapeno *Quercetani*, pilulæ gummosæ *S. Clos-
sæi*, Pilulæ de hermodactylis majores in arthritide pure frigida,
minores in arthritide calida dicta. Vid. *Platerum*. Laudantur &
specificum purgans *Paracelsi* & pulvis arthriticus *Paracelsi* purgans,
Electuarium arthriticum *Turqueti* & quæ sunt alia suo valore gau-
dentia. Pilulæ Antimoniales *Harrmani* per secesum tantum pur-
gantes in omni arthritide præsertim calida præstantissimæ sunt.
Semper tamen illa quæ leviter & per epicrasin humores noxios
expurgant fortioribus catharticis prætulerim. Illis enim viscerum
tonus ac robur conservantur, quæ utraque his labefactari certum
est. Ubi vero Magnam humorum colluviem primas vias infede-
re constat, levia cathartica fortioribus cedent.

XIV.

Mercurium vitæ impetente paroxysmo exhibitum sunt qui
summis ebuccinent encomiis. Ac ita se res habet. Arthriticos

extremè afflicto hic restituit: mox enim à sumto medicamento per utrumq; guttur fortiter purgati ad longum tempus ab omni novo insultu immunes fuere. Alii rosam vitæ mineralem ut tutiorem Mercurio vitæ præferunt. Restanti momenti non est, modò id quod fit, fiat justo tempore, in subjecto habili, præmissis præmittendis & observatis observandis: quæ omnia hic persequi instituti mei ratio non fert, ne nimium hæ exerescant pagellæ, quas jam tum aliàs præter opinionem meam excrevisse video. Hoc certum, sapam vomitoriam *Francisci Sylvii* longè tutiorem esse & certiore omni mercurio vitæ, quam idcirco non immeritò ei prætulerim. Rectè autem subinde inëunte paroxysmo potius quam extra illum evacuantia (cui nomini hic diaphoretica etiam & diuretica includo) propinantur. Sic epileptico si vomitivum, cæteris tamen paribus, exhibueris tempore impetentis paroxysmi, plus proficies quàm si extra paroxysmum centies purgâsses. Et febricitanti si porrexeris catharticum vel brevi ante aut in paroxysmo, cum paroxysmo sæpe morbum tolles. Nec mirum; vigente enim paroxysmo materies morbifica ex loco quietis vasa sanguinea & omne corpus subit, unde facilius tunc obviante victricis medellæ ex corpore humano eliminatur quàm postea, cum ad locum quietis & ad centrum suum rursus se demisit, ubi ad futuram afflictionem se recolligit. Videatur vir *Experientissimus Joannes Sophronius Kozack*, Medicus & Philosophus non unus è multis in doctissimo tractatu de Sale ejusq; in corpore humano resolutionibus salutaribus & noxiis, Sectionis 7. Cap. 9.

VX.

Ad anodyna externa jam transeo pro qualibet dolorum causa; quæ ex Opio, Solano baccifero, cæpis, mandragora, verbasco, cicuta, hyosciamo, ligno buxi variè præparantur. Opium linimentis anodynis acidis præsertim & salinis utiliter immiscetur; solum & per se applicatum ferè nihil præstat. Solanum, cepæ, cicuta, hyosciamus, verbasci flores, succum expressione fundunt, cujus efficacia in doloribus arthriticis superandis magna est. Lignum buxi raspatum & per cornutam actum, oleum emittit quod articulorum & dentium dolores validè compescit. Ex illis jam adductis Unguenta & Cataplasmata anodyna diversi authores tradidere.

didere. Videantur unguentum anodynum *Crollii*, Unguentum anodynum *Schröderi* & aliorum. Ex hyosciamo ac cicuta baccisq; Solatri cum lacte coctis, addendo farinam hordei oleumque nymphæ aut verbasci, cataplasma conficies ad dolorem intolerabilem. *Plinius Natural. histor. Lib. 25. Cap. 3. Servius Clodius* (inquit) *eqves Romanus, doloris Podagræ vehementia coactus veneno crura perunxit & postea sensu omni æquè ac dolore caruit.* Addit commentator venenum hoc fuisse opium, cicutam, altercum seu hyosquium. Stupor autem ille & sensus jactura præcavebuntur non diu tantum in hisce remediis non hærendo sed & acida salinaque, dum adhibentur, commiscendo. Verum, quia omnis dolor ab aliquo acri excitatur, omnis autem acrimonia ab oleosis obtunditur atq; demulcetur, conveniunt etiam varia cataplasmata vulgò celebrata; quale est illud de mica panis cum croco & lacte bubulo: cataplasma ex ostreis & ranis vivis contusis, cum succo cicutæ & florum verbasci opiiq; subtilissimè raspati pulvere mixtis &c. Prodest quoq; immisio pedum aut manuum in acervum tritici, vel siliginis, vel cumulum vinaceorum: quorum primum *Sexti Pompeji* remedium fuisse tradunt. Macræ carnis bubulæ frustum parti dolenti superilligat *Hartmannus*, aliud atq; aliud manè & vesperi imponendo, donec in totum cesset dolor. Stercus vaccinum & humanum sunt qui commendent, sed hæc sordida. In illis autem anodynis & narcoticis medicamentis nihil ægris, observandum quàm hoc: ne in eorum usu justo diutius hæreatur, etiam quando simul vim habent resolvendi, licet de hisce parcius quàm de aliis non res solventibus metuamus. Hanc autem resolvendi vim si non omnia, saltem plurima obtinent narcotica: quo in negotio veritatis patrociniū contra alios rectè suscipit *Experientissimus Platerus* variis in locis. Efficaciter sanè dolorem omnem tolles, si in Spiritus vini & Spiritus Salis Armoniaci rectificatorum ana unciâ unicâ per croci infusionem flavescente, Camphoræ drachmam unam & opii crudi semidrachmam vel scrup. 2, aut hujus loco extractum opii simplex spiritu vini factum dissolvas, eoq; partem dolentem inungas. Commemorat *Plinius Nat. hist. lib. 23. Cap. 1.* *M. Agrippam* civem Romanum podagrâ afflictum pedes crurum tenus aceto calido immerfisse & hoc pacto dolorem admodum leniisse.

At

XVI.

At verò (ut rectè *Marianus Sanctus Barolinus* in compendio Chirurgiæ, tractatu de apostematibus) doloris sedatio malæ complexionis alteratio esse debet; dummodo non sit ex materierum, ut loquuntur, incarnatione, ista namq; alia exposcit subsidia. Dolores enim secundum locum quem insident, aut continuitatis solutionem, aut subitas alterationes indicant, ut docet *Galenus*. Quàm itaq; hoc fit, ingenio nostro medicamenta eruere fas erit, quæ dolorem ex præternaturali alteratione ortum oppositâ alterandi vi subigant & radicitus evellant. Pugnant enim frigida calidis & humectantia ficcis. Si igitur ea nobis innotescant remedia, quæ vel superioreitate gradus, vel contrarietate, vel proprietate singulari dolorificos humores jugulent, longè satius est illa adhibere simul anodynis quàm anodyna sola. Quando enim impressa parti dolenti vis stupefactiva notabilis virtutis resolutivæ expers iterum exhalavit, novi dolores suboriuntur, quin imò & materia in loco affecto adhibitis anodynis non simul solventibus, non rarò conculcatur; ex qua radice postmodum plura infortunia suppullulant. Contrà verò illa quæ enantiâ qualitate dolores tollunt, causam & materiam eorum, rarefaciendo cutem & aperiendo poros, ex parte affecta evocant, & sic, ne brevi revertantur prohibent. Ut aurem nova materies, novi doloris causa, nequaquam advolvatur, purgantibus aliterve evacuantibus, etiam alterantibus præcavendum erit. Atq; hæc omnia ut ritè præstari queant, requiro in medico exactissimam omnium, quotquot sunt, simplicium cognitionem & Chymicæ peritiæ solidiorem.

XVII.

In frigida itaq; arthritide ubi succus acidus primario & pituita secundariò, absq; bilis manifesto vitio peccant; exterius applicabuntur omnia illa quæ resolvendi virtutem cum levi attractione obtinent. Talia sunt Resinæ & lachrymæ quædam: PIX, *Gummata* ferè omnia, præsertim Opopanax, Euphorbium, Galbanum, Ammoniacum, Sagapenum, & olea ex illis destillata. Sapo Venetus. *Radices* pithri, Saponariæ, hellebori, raphani, ranunculi, bryoniæ, Ari, Dracunculi, Narcissi, gentianæ rubræ. Piper longum, nigrum & Brasiliense. Folia & succi Olyridis, pulsatillæ, Chelid.

Chelid, maj. Persicariæ, nicotianæ, ebuli ac sedi minimi, quod illecebram dicunt. *Semina* crucæ, staphisagriæ, nasturtii, nigellæ; *bacca* Mezerei. *Stercora* animalium calidiora, ut anserum juniorum, muscherda, album græcum, cocta cum saponem nigro. Prodest etiam pulvis millepedum & bufonum; quò pertinent, lingua vulpis evulsa mente martio, exsiccata & pulverisata, caputq; lacertæ, ut & biles animalium. Penetrantissima sunt omnia olea destillata, præsertim ol: C. C. fœrens, Lig. sancti, Saponis, Terebinthinæ, succini & philosophorum, quorum ardor mitioribus subinde temperandus. Olea quædam per coctionem facta minorum vix esse virium experientia in comperto habet: qualia sunt, olea de piperibus, & de Euphorbio Mesue. Adeps serpentum aliis appropriatis commixta quorundam encomiis evehitur. Hæc omnia pro illa quam habent caliditate vel intensiori vel remissiori variè miscenda & dolentibus partibus simul opio applicanda. Emplastrum de pice navali serum tartareum ex articulis evocat & ad sensum oculumq; opitulatur.

XVIII.

Composita quæ usus & experientia albo signarunt lapillo sunt præcipua: Spiritus vini, spiritus salis Armoniaci & oleum camphoræ, rectificatissima, quæ commiscenda & acuenda Mumia Alexandrinæ & opii Thebaici extractis liquidioribus. Vim mirabilem & ferè stupendam balsami sulphuris succinati expertus nuper est *Franciscus Sylvius*, qui eo dolorem podagricum molestissimè rodentem confestim sedavit. Efficaciter quoq; operantur oleum sanguinis humani Alkalifatum & balsamus podagricus ex sanguine cervino; balsama duo antipodagrica *Oswaldi Crollii*, Galbanetum seu oleum terebinthinæ galbanatum, oleum picis ac ligni ebeni, oleum carbonum fossilium. Liqvor saponis *Hartmanni*, oleum Saponis Veneti cum calce viva destillati, balsamus antipodagricus *Schröderi*, Aqua Sudorifica externa *Begvini*, quæ tamen cautè & non nisi intercedentibus subindè aliis mitioribus in usum vocanda. Olea Succini & philosophorum, in quibus dissoluta sint opium & Gummi Caranna; emplastrum de caranna, Spiritus vitæ aureus *Rulandi*. Solutio Castorei & Euphorbii facta in aqua vitæ. Oleum ligni sancti graveolens & Cornu Cervi fœtidum itidem

dem subtilissimo pulvere Castorei ac Euphorbii subacta alutâque admota. Petroleum cui incocta radices ellebori albi, spiritus rebinthinæ tinctus radicibus tormentillæ aut alcannæ, quem loco petrolei Florentini venundant impostores agyrtæ, & licet menti-antur, prodest nihilominus hæc medela ratione solius spiritus rebinthinæ penetrantissimi & calidissimi. Petroleum quod habent officinæ vulgares rariis quoque est genuinum, sæpius planè suppositivum aut saltem ex parte adulteratum. Et quamvis subinde purū in Germaniam transportetur, vix tamen & ne vix quidem à candore suo impetrare possunt quæstuosi pharmacopolæ, ne sincerum vas incrustent, quamvis, dum illud in his aliisq; agunt, pro eâ quâ pleriq; sunt solertiâ, dicam potius, an nasutiâ, ebur sæpe atramento candefaciant. Oportet autem omnes extra vitium dolos & speciosos & innoxios esse; quod, cum illi hæctenus nesciverint, consultius agerent, si abstinerent istis (odiosè & duriter, ut terre-antur, loquar) adulteriis ac planè insulis nocivisque imposturis. Optimum autem est oleum petræ quod provenit in Orientali India, & ex Sumatra, javæ regno è regione in conspectu sita, in Belgium aliquando transfertur. Sed & ibi rarum. Oleum enim hoc ex altissimis rupibus in subjecta flumina præcipitatum & Minjac Tannah Indis dictum in tanto habetur ibi pretio, ut rex Achinensis, qui potentissimus istius insulæ est tyrannus, sub capitali pœna istud inde evchi prohibeat; nisi incolæ, nocte concubia, si quæ Anglorum, Belgarum aut Lusitanorum navis illorum lictoribus adpel-lat, furtim illud efferant. Oleum hoc miraculi instar ægros con-solatur. Odore porro gravi est, haud tamen nauseabundo. Stillat & in Italiæ regione Murinensi petroleum aliquod, itemq; apud Mejanum pagum in tractu Parmensi, ac in Sicilia fontibus qui-busdam innatat: at his omnibus præstat Asiaticum & præsertim Sumatrense, quod quidem illorum experientiâ constat qui utriusq; circa ægros fecerè periculum. In defectu tamen petrolei Asiatici Italicum radicibus ellebori albi imprægnatum sæc potens est ad dolores acerbissimos quosq; leniendos, maximè, si de extracto o-pii liquido aliquid immiscueris. Petroleum simplex arthritidi vagæ inunctum maximo est solamini, oleum carbonum fossilium & balsamus Peruvianus ad eandem valent. Galbanetum ad abo-
lendas

lendas contracturas pro externa cura egregiè facit, quemadmodum
pro interna oleum antimonii dulce superius laudatum est: quod
si hoc destituamur, alia magis obvia id quoq; (at lentius) præsta-
bunt. Mitiora istis qui cupit remedia, habeat sibi commendata
OLEA: vulpinum, laurinum, oleum philosophorum & oleum ex
granis ebuli expressum: UNGVENTA, Nervinum, Martiatum,
de Arthanita, EMPLASTRA Diapalmæ de baccis lauri, de Caran-
nâ, Noribergense: quæ in remissiori arthritide usui esse poterunt.
Præstans est Emplastr. Diaphoreticum *Minschtri*. In istis autem ca-
lidioribus & fortioribus topicis hoc unicè observandum, ne tu-
moribus arthriticis verè calidis ac biliosis admoveantur, horum
enim dolores non tantum non sopiunt sed & magis acunt, imò,
& erysipelas aliq; majora mala aliquando generant, præsertim
in carnosis sedibus, ut coxendicis dolore. In arthritide mixta
id non adeo metuendum. Hæc autem arthritidem purè calidam
& biliosam subinde mentitur imperitis.

XIX.

Sunt qui ad Dropaces & Sinapismos utilisimè descendunt,
& quando in ischiadico dolore vel etiam genuum aut scapularum
alumine plumoso partem in antecessum fortiter fricuerant, sina-
pismos vel Dropaces imponunt, & hoc quidem tunc, quando a-
liis medicamentis calfacientibus & attenuantibus nihil profectum
est hæctenus. Laudatur quoq; & laudari meretur emplastrum Vi-
gonis de ranis cum Mercurio, aucta Mercurii & Euphorbii quanti-
tate, ac præparatione juxta expertissimi *ZNeifferi* animadvertio-
nes institutâ. Hoc potenter operatur, madorem ex parte extra-
hit & sensibiliter levat.

XX.

Sed nec vesicatoriis parcent audaciores. Et novi acerbissi-
mos articulorum dolores applicato vesicatorio confestim exter-
minatos. Cautè tamen & circumspectè hic agendum existimave-
rim.

XXI.

Ad imitationem horum varias ranunculi, tithymalli & pulsatilliarum species applicare poterimus, tunc, quando leviora medi-
camenta eludit pertinax malum. In chiragra & podagra lac tithymallorum cum farina aliq; & nucleis baccarum Mezerel, quos

& grana cocci gnidii vocant, subactum & articulis applicatum
materiam foras evocat: nec opium aut hyosciami semen incon-
cinnè addideris quum dolores urgent.

XXII.

Arthritidis calidæ dictæ curatio à priori in tantum discrepat
quantum causa ipsa arthritidem calidam faciens ab arthritide fri-
gida recedit. Hac de re videantur illa quæ in antecedentibus pro-
posita sunt. Valent autem pro curatione levioris mali, oleum ro-
faceum, myrtinum, mulcilago seminis psyllii & cydoniorum; ;
quanvis ab omni tumore calido oleosa prohibeat *Fernelius*: huc
refer succum Limonum, lapidem prunellæ & herbas: Verbascum,
umbilicum Veneris, Potamogeiton. Uvæ quercinæ liquor infal-
litur à multis commendatur. Aqua foliorum & florum verbasci
& internè & externè usurpata in arthritide calidiori vulgarem non
præstat opem: Illi quòd externè adhibendum est, camphoram u-
tiliter immiscebis. Efficacior absq; dubio erit Spiritus verbasci;
aqua enim si ranarum est virium, spiritum potioem adhuc futu-
rum facilè colligimus. Levant quoq; & obtundunt dolores ar-
thriticos calidiores, succi plantaginis, florum verbasci, Oxyridis,
sempervivi majoris, cum camphora & croco illiti; his adde sper-
ma ranarum. Aquam compositam ex spermate ranarum & ster-
core bubulo tradit *Hartmanus* in praxi Chymiatica. *Crollius* ubi
calidus urget dolor, balsamum suum antipodagricum cum succo
florum thapsi barbati mixtum usurpat. Ex mulcilage seminis
psyllii, succis citri, florum verbasci ac sempervivi majoris, additis
Camphorâ opio & croco egregium conficietur cataplasma ad do-
lores calidos opprimendos. Sedimentum cotis cum spermate ra-
narum ab aliquibus laudatur. Quod si importunius affligat glis-
catq; dolor, palmam his multùm præripient: *Primò*, Narcotica
præter virtutem anodynam ac refrigerantem vim quoque rarefa-
ciendi ac attrahendi habentia. *Secundò* illa medicamina quæ o-
mnis volatilitatis atq; acrimoniæ aromatico-sulphureæ expertia,
acrimoniam acidam aut acido-salinam, adeoq; præter refrigerium
etiam attenuandi atq; alliciendi facultatem obtinent. E priori
genere sunt: solanum bacciferum, cicuta, mandragora, papa-
ver, hyosciamus; quæ dolores validiùs oppriment, si opium
(quam-

(quamvis narcosin habeat manifestè calidam) & camphoram eis addideris. Neq; enim omnia narcotica refrigerant: quin imò plurima, licèt recentia & nativa sua humiditate nondum destituta tantillum refrigerent, eadem tamen orbata, & evaporato humido vegetabili, in succos densos coacta nihil nisi sulphuream & calidam narcosin spirant, quam in recentibus nativa humiditas temperabat. E posteriori genere sunt, spiritus minerales acidi omnes: spiritus vitrioli, sulphuris, nitri, salis, aluminis, salis gemmæ, ac olea per deliquium Tartari & Saturni. Spiritus salis non rectificatus aquâ fontanâ temperatus & per lacinias duplicatas cum tantillo olei Tartari per deliqv. admotus laudatur ab *Hartmano*. Et hæc medela profuisse visa est, maximè tunc, quando adjiciebantur oleum Saturni & camphora. In succis allii & ceparum si camphoræ aliquid dissolvas, habebis medelam ad dolores calidos non contemnendam.

XXIII.

In posteriori genere fortissimæ sunt Aquæ antipodagricæ *Raici & Rulandi*. Aquam antipodagr. Raici describit *Schröderus*, lib. 2. At bene notandum hoc loco id quod recensetur in notis ad Tyrocinium Chymicum *Beguini Lib. 2. Cap. 2.* Quendam ischiadicum, cum ex aquæ alicujus huic non valdè dissimilis usu ob acceptum inde levamen diutius hæreret, eo fine, ut subito in integrum restitueretur, & ab incedendi impotentiâ liberaretur, in gravia symptomata incidisse. Cœpisse tendi & contrahi cutem, ac alteram clunium summo cum dolore adeò inflammari, ut ex ea innumera & præ grandes vesicæ pullulascerent, quæ scissæ plurimū aquæ fervidæ & acris profuderint. Recipiunt autem hæ aquæ Mercurii sublimati non parvam quantitatem: cujus periculum qui declinare studebit, sumat sublimati corrosivi & sublimati dulcis partes æquales, & tutius procedet.

XXIV.

Nec vulgariter juvat aqua antipodagricæ *Rulandi*, quam ille in centuriis suis tantopere commendat: & hæc eò tutior, quò minorem recipit quantitatem Mercurii sublimati & aquæ fortis. Cum autem *Rulandus* & in hoc medicamento sibi similis sit, nec in centuriis suis id apertè tradiderit, posteritas ut erueret, nervos intendit.

Inter alios hoc conatus est *Hartmanus* in praxi Chymiatrica, qui preparationem hujus aquæ ibidem recenset. Modum verò utendi tradit *Rulandus* Centuriâ tertiâ curatione 41. Nec mirum hæc talia luxuriantem circa articulos bilem potenter compescere; quando quidem Mercurius sublimatus summè acris & acidus adeoq; bili omniq; sali volatili & subtili è diametro oppositus illam viribus suis facillè exsolvit & exsolutam domat. Istiusmodi autè medicamina etsi contra arthritidem calidam ex natura suâ tantùm pugnent, nihilominus tamen & frigida arthritidi subinde opitulâri observantur, quamvis ipsamet frigida; Mirum dictu. Multa hîc inferi & prolixius discuti possent hæc rerum momenta, sed, cum brevitati studeam & illa genericæ tractationis sint, omnia hîc dixisse videbor quando dixero illud poëtæ:

-- -- -- *Penetrabile frigus adurit.*

Frigidam verò calidamve arthritidem, si solâ tumoris ac ruboris vel absentia vel præsentia metiri præsumemus, sanè prævaricabimur. Aliquando enim ipsa arthritidis frigida tumet ac rubet, non ex bilis adfluxu, sed ex dolore qui sanguinis advolutionem concitat. Dolor quippe est instar ventosæ (loquor cum *Mariano Sancto*) quæ attrahit subjecta sanguinemq; & humores allicit. Hîc itaque oculorum acies intendenda ne hallucinemur & calidam arthritidem frigidi loco pronunciemus. De utriusq; signis diagnosticis superius actum est, ac si quis illa brevi quâdam anacephalæosi hîc retractari velit, habeat: ubi vera est arthritidis calida, ibi bilis acrioris signa suis se produnt indicis, siti, alvo laxâ, cephalalgia, corporis æstuatione. Tumori ac rubori dolor ut plurimum pulsans adest, aut saltem cum rosione leviori ardor major ac ustio aliqua obscura; non dolor lancinans, non perterebrans, non fixus, non sine ardore rodens. Ad normam autem hanc omnia exigenda accurato & fœliciter curaturo Medico.

XXV.

In arthritide hac calidâ spuria curatio maximam partem frigida arthritidis naturam respiciat; pro levando autem illo qualicumque dolorifico rubore adjici nonnulla possunt quæ arthritidis calidæ curationem concernant. Ubi verò arthritidis calida vera occurrit, biliq; magis quam succo pancreatico debetur cruciatus, subito

bitò tam internè quàm externè ea adhibebimus quæ superiùs ad
talem constitutionem laudata sunt. Præsertim, si animadverteri-
mus sanguinem vel serum biliosum ad partem affectam magis ma-
gisq; advoli (id quod in ischiade sæpius, in gonagra & homopla-
tarum dolore rariùs fieri observatum est) cucurbitulas cum scarifi-
catione ut & hirudines rectissimè admovebimus, quæ certè omni
arthritidi ad caliditatem vergenti impositæ, sanguinem pariter &
serum copiosè evacuant, ut brevi dolor cesset. Videatur elegans
libellus *Dn. D. Joannis Heunii*, Professoris in Universitate Gryphis-
waldensi, *de hirudinum efficacia & usu in medicina*. Si verò à causa
purè frigida oriatur dolor, linimenta calfacientia Dropacesque &
Phoenigmi magis proderunt. Subinde fit, ut omnibus in ischia-
dico dolore calido frustra tentatis, etiam causticis sine fructu ad-
motis, sola hæ hirudines insigni sint juvamento, si earum octo vel
decem femori in circulum superimponentur. Et observatum est,
hujuscemodi ischiadicum dolorem linimentis ac unguentis sale
volatili ac oleo præditis adhuc magis fuisse exacerbatum, qui postea
pilulis gummosis internè datis & hirudinibus externè admotis mo-
destè obsecundabat. Cucurbitulæ ubi proximè ad partem affectã
figi possunt, sanguinem & serum subsequente leviori scarificatione
prolestant atq; evacuant. *Pansa* Part. gen. Cap. 12. & *Oswaldus*
Gabalkoverus in praxi sua Germanicè editã, podagricis doloribus
fœliciter medentur, loco, qui est inter pollicem & primum digitum
pedis, ventosam cum copiosa flamma novilunii tempore injicien-
do posteaq; locum leviter scarificando: & hac ratione podagri-
cos non tantùm, sed & alios arthriticos dolores frigidos non mi-
nus quàm calidos compescunt, ægrosq; expediunt, repetitis vici-
bus idem operando. Has tamen & ventosas & hirudines calidæ
potius quàm frigidæ arthritidi convenire autumaverim.

XXVI.

Tanta ergo varietas est in curatione hujus mali, & nisi ad
causam morbificam prudenter respiciatur, multa præposterè fiunt,
jam clave finduntur ligna, jam securi aperiuntur fores; unde mox
in pejus multa ruunt, adeò ut satius fuisset de medicamentorum
adhibitione non cogitasse, utpote calcar & stimulum morbo ad-
dentium, non verò remoram & sufflumen injicientium; contra
quàm

quim aeger vocatur, medicus expectabat, adstantes & agnati operiebantur,

XXVII.

Cum vero per paroxysmorum febrilium intervalla affligere incipiat arthriticus dolor, & in prima paroxysmi invasione humor pancreaticus, in provento autem paroxysmo bilis moveatur fortius; non mirum, si non semper iisdem medicamentis, ne quidem in eodem paroxysmo, liberentur iidem, nedum omnes arthritici: evenit siquidem hoc, quatenus non tantum in diversis agris, sed in iisdem quoque diverso paroxysmi tempore causa dolorum existunt saepenumero diversa. In agris diversis existunt causa diversa, quatenus alias bilis & quidem diversa, alias pituita itidem diversa copulatur primariae arthritidis causa, succo pancreatico similiter plurimum diverso. In eodem agro, sed diverso paroxysmi tempore causa dolorum arthriticorum existunt diversa, quatenus in principio nocet imprimis atque acrimonia sua acida dolorem rodentem ut plurimum parit succus pancreaticus, postea vero ipsi copulatur ipsiusque acrimoniam vel infringit, vel imminuit bilis, pro vitii sui diversitate dolorem patiens diversum & imprimis ardore summo molestum. Quae duo, tanquam summa rei capita altius tenere fas est, ad dolorem utrumque specialibus praesertim medicamentis potenter corrigendum. Potest autem blandioribus & imprimis oleosis utraque acrimonia feliciter ac commodè demulceri sicque dolor leniri, adjectis semper anodynis solventibus. Hujus generis est cataplasma de mica panis lacte & croco, cujus jam supra memini.

XXVIII.

Et haec oleosa, modo dolor acerbissimus non sit, vix frustrantur expectationem imperitam dubitatione medentium. Quando vero instat, acriusque urget dolor, τότε καλὸν ἐν ταῖς δυσυχίαις λάμπει, tunc demum medicorum artes & ingenia exercentur: quae enim (ut praecedenti paragrapho jam attigi) in eunte paroxysmo juvant, provento paroxysmo opem suam denegant, quae una hora profunt, altera obsunt, quae huic agro fuere proficua, alteri erunt summe noxia. Et hoc ita turbat; ita exercet, suspendit, anxiosque & ambiguos habet molitos jam omnia medicos, ut arthriti-

tis

eis non immeritò scandalum & opprobrium eorum vulgò nuncu-
petur.

XXIX.

Ad humorum igitur varietatem, cumq; quo varii humores
feruntur, morum & orgalmum medicamina prudenter & peritè
exigemus; inèuntis paroxysmi doloribus illa applicando quæ
pancreatis succo, provecto illa, quæ bili reprimendæ dicata sunt;
iterumq; hæc omnia ad humorum jam oleositatem, jam viscidita-
tem, jam acrimoniam nimiam restringendo. A lenioribus autem
semper ad potentiora procedere, nec statim validissima quæq; in
auxilium vocare debemus, memores moniti istius, quod nobis re-
liquit *Divinus Senex* Sect. II. aphor. 51. *Plurimum est repente vacua-
re vel replere, calefacere vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus
movere periculosum: omne siquidem nimium natura inimicum: pau-
latim verò quod fit, tutum, et presertim si quis ab uno ad aliud transie-
rit.* Destitueret me vigor & deficeret tempus, si hæc omnia sub-
ductâ ratione & accurato calculo forent proponenda. Nec hic
unius diei labor est, nec unius dissertationis opus, nisi quis iliade
prolixiorum & fastidiosè ampullantem exigat. Quicumq; iudicio
pollet καὶ οἶδε τὸ λευκὸν καὶ τὸ μέλαν, non necesse habebit multa
divinare, sed ex illis quæ hic breviter & succinctè tradita sunt, quò
res tendat, facilè assequetur.

XXX.

Hinc & non aliunde ratio fluit, cur tam pauci vulgò curen-
tur arthritici. Quotusquisq; enim medicorum ad ista attendit aut
attendere novit; cum nec medicorum scholæ, nec quotquot ha-
ctenus sunt muti magistri talia suggerant. Et licèt aliquibus indo-
ctis ac imperitis forte fortuna succedat curatio, aliis tamen vicibus
contrâ vicies impingunt iidem. Sicuti enim in vita communi re-
busq; civilibus aliquando temeritas & fortuna feliciter iudicant
quàm inter momenta prudentiæ incerta laboransq; solertia, sic &
in his aliquando fit ut cæcus cornicem jaculo configat. At sæ-
piùs contrâ sua lubricitate & incertitudine ruit ambigua & incon-
sulta temeritas. Ex eodem fonte fluunt tacitæ illæ in urbibus &
rebus publicis strages, quibus impavidè in alios grassantur im-
periti Doctores, qui nihil nisi lingvâ & supercilio uti didicerunt;

G

item



item homines alchimistæ, pharmacopœi, tonsores, balneatores, aliiq; id genus fuci & prostibula artis, qui faciunt experimenta per mortes & negotiantur animas, quorumq; fidei se committunt vel pauperuli & summoeniani ob rerum penuriam, vel mediocriter opulenti ob sorditiem & tenacitatem; quia scilicet hi minimi vendunt jam noxam, jam exitium, quæ alias à doctis & peritis Medicis arceri pluris constaret.

XXXI.

Humorum verò arthritidem facientium si adeò arcta & vitiosa fit mixtura, ut, cuinam potissimum humori intendenda curatio vix deprehendere possis; adhibenda erunt illa oleosa atq; adiposa mixtis anodynis efficaciora reddita, quamvis narcoticorum virtutem oleosa obtundant hebetemq; reddant. Sic enim omnes in universum dolores & cujuscunq; generis, modò acerrimi non sint, sopiuntur ac demulcentur. Nec inconueniens est in hoc casu Balsamus antipodagricus Hartmani cum unguento anodyno Crollii aut Guilielmi Simonidis permixtus. Spiritus urinæ oleosus, in quo porrum alliumve præmaceratum, ut & succus cepæ junctus pulveri piperis longi, hîc non segniter opitulatur. Quod si verò ista expectationi tuæ ob dolorum vehementiâ pro voto satisfacere detrectent; Sacræ instar anchoræ prensandi erunt Spiritus volatiles Alkalisati sive essentificati, opio camphorâ & mumiâ fortificandi: hi enim reliquis succumbentibus præsidio sunt, omnesq; dolores, alliciendo simul & evocando materiam, efficaciter persfundant. Probantur & solutiones quorundam mineralium, Vitrioli, Sulphuris, Nitri, ut & camphoræ ac calcis vivæ in lixivio, aceto, aqua vitæ aut spiritu urinæ non rectificato factæ: prout materies hoc vel illo idoneè magis solvuntur. Aquam etiam Antipod. Rulandi suus hic commendat valor. Omnia quoque narcotica & anodyna: Solanum, hyosciamus, cicuta, verbascum suppetias hoc in casu ferunt.

XXXII.

Tophi & nodi si illis, quæ hætenus adducta sunt, tum internis tum externis medicamentis non cedant, & loco facestant, applicabis Bals: Sulph: Rul: aut Essent: Martis Corallinæ Zwelfferi sæpius iteratâ novâ impositione donec penitus discutiantur. Commendant etiam
cata-

cataplasma Galeni ex caseo veterissimo rancido cum jure pernae salitæ subacto; proponitur à Galeno Lib. X. de simplicium Med. facult. ubi topbos arthriticos se eo pluries curasse scribit. Spiritus calcis vivæ majoris est efficaciam, distemperatus tamen aliis mitioribus. Emplastrum quoque Vigonis de ranis cum Mercurio duplicato vel triplicato, auctâ insuper Euphorbii quantitate, admovebis; aut Emplastrum *Hartmani* ex alumine Rochæ nitro & vitriolo Romano, ut contumacia suæ justas luant pœnas. At dubio præcognito & præmonitâ eventus ambiguitate ultima hæc adhibere conveniet. Fit enim subinde quod aliàs in Chirurgia non est infrequens, & quod evenire sæpius, docet *Marianus Sanctus* in compendio Chirurgiæ, tractatu de apostematibus; cum inquit: Multoties applicavi maturantia & resolutum est apostema, iterumq; alibi admovi resolventia & maturatum est; atq; hac ratione nulla hic statui potest certa regula, cum calor naturalis sæpe contra Medici intentionem & conjecturam operetur. Si itaque insensibili transpiratione topi dissipentur, ager in portu jam navigat: sin minus, atq; mora ætas & materie durities omni resolutioni officiant, caustica validiora, quò aperiantur & in ulcera abeant, absque hæsitatione omni applicabis. Huic intentioni inserviet pulticula illa caustica *Joan. Hartmani* ex Arsenico crystallino aquâ forti & Mercurio sublimato corrosivo, more cauterii potentialis usurpata: tophum adurit & escharam facit, quæ, cum emollientibus soluta fuerit, attractivum specificum seu emplastrum magneticum imponendum, quod omnem tartaream faciem in vapores & halitus rarefactam alliciat. Cum verò calidiorum arthritidem non tam tartarei quàm ichorosi topi sequantur, bene advertes, cuiusnam arthritidi hæctenus, & quali topi jam medearis. Si ichorosum esse deprehendas, emplastro Vigonis illum involves, quod aut resolvet aut maturabit. Maturatus & emollicus si spontanea apertione saniem haud vomat, novaculâ aperiat, aut, si tumor amplior, (quod in gonagra aliquando vidi) sectione cruciatim factâ ichor evocetur. Sed nec ille simul & semel, verum iteratis vicibus evacuandus; post singulas autem evacuationum vices, si visum fuerit, pulveres, quorum in capitis vulneribus usus esse solet, inspergi poterunt; ne sensiles circa articulum partes ab aëre male affici-

afficiantur. Si quis interea dolor exsiliat, sopiatur, ulcus mundetur, & tandem emplastro Diapalma, aut, si opus, instillato prius Balsamo sulphuris Rulandino, juxta *Excellentissimi Rolsincii* descriptionem præparato, consolidetur.

XXXIII.

Devolvor jam ad illa quæ ad arthritidis curationem non ex necessario semper, sed ex contingenti, pro constitutionum, symptomatum, ipsiusq; morbi varietate concurrunt. Hæc verò cum pro re natâ jam omittantur jam administrantur, in ultima rejicere visum fuit. Sunt autem: *Repercussiva, suffumigia, balnea tum artificialia tum naturalia, Phlebotomia, cauterium.*

XXXIV.

Sunt qui brevi post exhibitum purgans defensivis & repellentibus arthritica membra involvunt, ad intercipiendum materiæ agitæ affluxum; quos inter *Solenander Riverius & Sennertus*, quibus recentiores quidam calculum suum non adeò promptè adjiciunt. Si cui tamen religio sit non velificari præjudiciis, explorare majorum vana placita & renunciare semel arreptæ opinioni, eum quidem ab illis non prohibebo, & si compendio uti velit, loco prolixi alicujus compositi exuvias angvillarum applicabit, aut emplastrum ad herniam quod describit *Schröderus*. Sanè, quantum mihi ex Peritissimorum Practicorum fœlicissimis curationibus notare licuit, observavi, repellentia & in his & in aliis multis casibus omissa nihil noxæ, adhibita nihil commodi habuisse. Quin imò inepti quidam tonsores repercussivis in apostemate aut ulcere cacœthe imprudenter usurpatis misellos aliquando ægros in sphacelismum, gangrænam, adeoq; in manifestum vitæ discrimen impudenter conjiciunt. Silebo jam de capitis vulneribus & aliis quibuscunq; per tormenta bellica & Arquebusas inflictis, in quorum curatione materiam prope locum affectum adhibitis defensivis non rarò conculcant; unde erysipelas, putrefactio, esthiomenos, gangræna, similiaq; mala confestim exsiliunt.

XXXV.

Quando in arthritide serum tenue multum negotii facescit & dolores acerbos excitat, profunt sumi vehementer siccantes ex succino, myrrhâ, cinnabari, auripigmento &c. ex quibus formantur

buntur

buntur trochisci pro suffumigio, in ischiade & gonagra frigidis *Plasero* probati. Ad laxandos cutis poros & materiam arthriticam circa articulos & in habitu corporis hærentem leniter alliciendam, balnea, semicupia, infusus, forus, embrocationes, podoniptra, ex foliis raphani & lauri, rasurâ ligni juniperini, (hoc enim singulare est, radicibus raphani & Cyclaminis, baccis Lauri, juniperi, herbis, betonicâ, matrisylva, camomilla, persicaria mentastro & c. parabuntur. Acui ista possunt, si visum fuerit, injectis sulphure, nitro, sale gemmæ, bilibus animalium & lixivio barbitonforis. Arthritidi incipienti & febre synochâ stipatæ si plethora aliqua simul adsit, sub hisce morbi initiis phlebotomia celebretur, cæteroque inutilis. Thermas arthriticis consulunt plurimi authorum, quibus tamen alii sed paucissimi calculum suum subducunt, experientiâ freti propriâ quod thermæ sibi aliisq; obsuerint malumq; exasperârunt. Sanè qui ad omnes promiscuè thermas arthriticos ablegaverit Medicus, imperitiæ suæ magnum dabit argumentum. Breviter: acidæ thermæ ut plurimum coagulant, hinc studiosè vitandæ. De salis & Nitrosi ante explorationem certi nihil statui potest: Si quando in comperto habueris illas exsiccandi & deobstruendi tantum, non coagulandi vi pollere, tutò arthritidi præsertim calidæ adhibebis. Sulphureæ & bituminosæ frigido malo nunquam non proficiunt: emolliendo enim resolvendo & evocando afflictos articulos gratiosè consolantur.

XXXVI.

Sed & cauteria potentialia fonticulosq; cum ingenti utilitate hîc inuri per authores proditum est. Alii, inter quos *Crato* & *Sennertus*, eos non rarò obesse magis quàm prodesse affirmant. At conciliabuntur authores, si arthritidis variæ varios humores bene distingvamus & dirimamus ab invicem. Ubi enim serosus lymphaticusve humor adhuc fluidus & tenuis arthritidem generare constabit, fonticuli, si æger non abnuat, utiliter imprimuntur, eo sine, ut materia tenuis & fluxilis per aperturas cauterio inductas cottidiè exspuat. Quando verò humor serosus glutinosam duritiem ex stagnatione indeptus tophos nodosq; jam genuit, aut, ut gignat, in procinctu est; caustica nulla, nisi quæ ipsi topho referando adhibentur, conducunt; cùm materia jam constiterit.

De fonticulorum & setonum usu in arthritide præ aliis relegi me-
retur *Matthias Glandorpheus, Reverendis, olim Archiepiscopi Bremensis*
Medicus in suo Gazophylacio Polyplusio fonticulorum & setonum rese-
rato. Notissimus omniumq; ferè literis celebratus est aphorismus
ille Hippocraticus: *Quæcunq; medicamenta non sanant, ferrum sanat*
quæ ferrum non sanat, ignis sanat, quæ verò ignis non sanat, ea incur-
abilia censenda sunt. Huic Divini Senis edicto promptissimè et-
iamnum morigerantur Medici Ægyptii, Arabes, Persæ, Turcæ &
Indi, adeo ut paucissima illorum corpora invenias ab igneis cic-
atricibus non defœdata. Ignis, remedii genus, apud illos in omni-
bus defluxionum morbis doloribusque ex frigida causa natis fre-
quentatissimum. Urunt autem igne actuali, oesypo, gosypio, o-
leo fervente, fungo ignito, panno lineo in formâ pyramidis con-
voluto, rarissimè ferro vel auro. Hæc succensa super partem
morbidam conflagent, donec in cineres & favillas collabantur;
quod illi miro, ac inter Europæos, nostrates præsertim, raro
patientiæ & constantiæ exemplo sufferunt, solo salutis amo-
re, quam exinde certam habent: & multi, præsertim arthritici,
ischiadici, podagræ &c. hinc salvi fiunt. Testis est *Prosper Al-*
pinus libro de Medicina Ægyptiorum Cap. 12. & Bellonius libro singul.
observ. tertio, de cauteriis Turcarum & ustione Arabum multa no-
tatu digna consignavit. Herodotus lib. IV, historiarum oesypo oval-
lo Lybiæ populos ad ustionem verticis puerorum & morborum
præcautionem foeliciter usos esse scribit. Sed reformidant ferrum
& ignem Germana pectora, ac Medicus, qui mascula ista remedia
decumbentibus hic offerret, ædepol, redderet se invisum ut *atri-*
limina Diti. Qui itaq; ægrorum gratiam demereri voluerit, illi,
ut his abstineat author essem. Malunt decipi lenocinio potentia-
lis flammæ quæ ignem non in fronte sed in recessu habet.

XXVIII.

Ad illa jam venio quæ articulos à vehementioribus doloribus
liberatos restaurant, sensiles eorundem partes corroborant, no-
vosq; insultus prohibent. Præter balnea & thermas quorum in
antecedentibus mentio facta, conveniunt: oleum de seminibus e-
buli expressum, oleum granorum Been addita myrrhâ & mumia;
unguentum nervinum; Martiatum cum oleo succini & philoso-
phorum

phorum, Emplastrum Diapalma, acervus vinaceorū, cui partes do-
lentes ingerendæ; præstant recentia & torculari primū subdu-
cta. Roborant insuper omnia quæ Tartari & humorum circa ar-
ticulum reliquias partium suarum tenuitate dissipant & discutunt;
quod, cum ex *Solenandri* observatione uvæ quercinæ liquor emi-
nenter præstet, hunc præ reliquis omnibus commendaverim.

XXXVIII.

Verū enim verò, cum hoc perfrictæ frontis malum, quos
semel habuit articulos, veluti ex usucapionis titulo, circa utrumq;
solstitium & vernum ac autumnale tempus rursus adoriri asse-
verit; jam tradendum erit, quomodo protervæ huic redeundi lu-
bidini dextrè obniti queamus. Nisi enim tunc maturè ac veluti in
herba suffocetur, sumto quotidie incremento & subministrante pa-
bulum inordinatâ diætâ in priorem vehementiam asurgit. Hoc
itaq; ut anticipemus, curato semel morbo omni nisu allaborandū
est, ne in diætâ & sex rebus non naturalibus insigniter delinqua-
tur. Si enim hac in parte sibi ipsis non consulere & salutaria Me-
dicorum consilia respuere velint ægri, dignos existimaverim, con-
tra quos arthritis ipsa pro medico sententiam dicat. At si medi-
corum ori modestè auscultare sapiant, anxios illos in salutem co-
natus à Medico fideliter adjuvari fas erit. Quamobrem tempore
utriusq; solstitii ut & tempore verno ac autumnali, quando fluxio-
nes podagricæ vigere solent, corpus mundandum & sanguinis ac
lymphæ fœces per inferiora subducendæ. Simplicia & compo-
sita hanc in rem superius exhibui. Convenientes sunt pilulæ aloë-
ticæ cum extracto trochiscorum Alhandal aut helleb. nigri & Mer-
curio dulci, addito jam Diagrydio, jam resinâ gialappæ, prout bi-
lem vel serum magis vel minus peccare animadvertemus. Essen-
tiam rad. helleb. nigri cum arcano Asari commendat *Hartmanus*.
Victus ratio accuratè interim servanda. Pro potu sumi poterit
vinum radice Cariophyllatæ & foliis melissæ aromatizatum. De-
hinc ad diaphoretica & diuretica veniendum, ubi præter pilulas
Riverii, *Horstii*, *Timæi*, *Döringii*, & aliorum, in censum veniunt Pi-
lulæ antipodagricæ *Joan. Hartmani* cum arcano filicis aliquot die-
bus continuis offerendæ, ut per corporis peripheriam humores
noxii & supervacanei expellantur. Idem *Hartmanus* in notis ad
Crol-



Crollium ingenti laude vehit Extractum Solis Transparentis, quod non mirum si insignia operetur, cum nobilis sit compositio. Efficaciter quoque ab arthriticis insultibus præservabis, si exhibeas pilulas compositas ex aloë violata, extractis chamædryos & chamæpytios, salibus cardui benedicti & Centaurii minoris insuperque hermodactylis & oleo succini compositas. Ac tales medelæ quandoque arthriti recrudescere sentietur, ex templo usurpandæ, efficaciter enim operantur. Roborantibus postea opus absolvendum. Inter hæc primas tenet magisterium perlarum solubile, quod ad præventionem à podagra feliciter usus est *Riverius*: hoc internè articulos roborat; externa roborantia præcedens paragra- phus exhibet. Interea si diætâ convenienter servetur, arthriti semel rectè curata vix postmodum recurrit, sed prostrata conquiescit, si non toto vitæ decursu, ad annos saltem complures; donec nimirum liberiore vitæ & laxiore diætâ iterum provocetur. Hæc dicta & monita sedeant potissimum iis, qui parentibus arthriticis geniti sunt; morbus enim hæreditarius est arthriti, illa quæ in patribus cœpit, in liberis præsertim laxioris vitæ fideliter continuare solita.

XXXIX.

Sed hætenus omnia quoad processum curationis confusè, quoad proponendi modum verò, ordine tradidi. Curandi ordo hic utcumque obtinebit. Primum febris synochæ quæ ut plurimum inveniunt arthritidi ceu dux præesse solet, extinguatur venæ sectione, catharticis & sudoriferis; quibus simul ipsam arthritidem expugnabis. In sudoriferis autem ut & reliquis alterantibus hic notandum, ut sudorifera quæ arthriticis, biliosis præsertim & siccis offerimus, præter vim calefaciendi dissipandi & protrudendi, habeant etiam potestatem incidendi atque resolvendi, eamque exsuggerant. Secus si fiat, ac in sudoriferis volaticâ tantum subtilitate corpus pervadentibus & sudorem fortius moventibus diu subsistatur, tantum abest quin inde leventur ægri, ut potius in resolutiones difficillimæ curæ & præcipites synovias prolabantur. Hoc etiam apprimè observandum in malo adulto, quod aut non dos jam fecit aut facere incipit. Ad dolorem porrò articulo- rum internè anodyna aut opiata sudoriferis & diureticis mixta; ex- ternè

ternè itidem anodyna, narcotica simul resolventia, aut aliis resolventibus copulata, pro humorum & causæ arthriticæ varietate applicabuntur. Tophi & tubercula si qui in articulis remaneant, discutientur: Ubi itidem monemur, ne tam calefacientia & attractiva sola, quàm alia salem volatilem aut fixum habentia in usum trahantur; hæc enim non discutunt tantùm sed & resolvunt ex toto: illa prolectis partibus tenuioribus & magis æquos, calcem fæcesq; pultaceas relinquunt, quæ deinde in duros tartareosq; nodos facescere consueverunt.

XL.

Ne sine mutilum esset hoc quicquid est opellæ, annectendæ forent curationes magicæ. At cum verear ne istis offendantur oculi impendio pii, mallem filere quàm *σκανδαλίξειν*. Quædam tamen omnis (ut videtur) nequioris magicæ nescia hie inserere, aliis, confido, grave non erit. Capiunt catum rubrum, rescindunt caput, reliqua cum visceribus lota comminuunt eaq; in ventrem anseris deplumati immittunt: dehinc anserem torrent ad ignem extillantemq; pinguedinem paropside terreâ excipiunt. Hac illiunt juncturas ad ignem, & multum levaminis sentiunt qui frigida arthritide tenentur. Alii vesperiliones sex decoquunt in aqua pluviali ad dimidias, vase cooperto; post colant & addito oleo rosato iterum coquunt ad probam mixtionem, dehinc reseruant usui. Sic caput milvi deplume crematum vel ossicula subtiliter pulverisata cum oleis vel unguentis inungunt & dolores coercent, narrante *Platero*. Corio canis recenti si involvantur membra arthritica; à proprietate juvare creditur. Reliquis characteristicis, Paracelsisticis, phantasticis laqueum mando illisq; recensendis supersedeo. Sunt verò alia quædam, quæ, etsi videantur magicam olere illicitam, cordatioribus tamen causam suam facilè probant. Per salem enim magneticum, utpote animam ac spiritum totius mundi sensibilis, multa patrari possunt miracula absque omni superstitione: adeò, ut non immeritò per hanc communem mundi animam abstrusa plurima explicare conati sint recentiores quidam & nobiliores philosophi, quibus solis, ceu veritatis & arcanorum naturæ scrutatoribus, de superstitione judicate competit. Sanè hæc naturæ mysteria proseribi & explodi non merentur eò

H

quòd

quòd illorum ratio ex Democriteo illo puteo nondum planè e-
merferit hactenus. Exempla nihil incerti aut irriti habentia in
promptu sunt. Vir Magnificus *Guern. Rolsincus* in *Epit. Medic.*
Lib. 4. Cap. 1. curam arthritidis magneticam tradit, quæ fit sangvi-
ne in ipsa plenilunii hora sive per venæ sectionem sive per scarifica-
tionem ab ægrotante collecto, vasi vitreo indito ac in acervum
formicarum defosso; sic devorato & consumpto sanguine cedit
dolor. *Balthasar Timæus von Guldenflee* / *SERENIS; ELECT. BRAND;*
Medicus & Poliater Colbergensis, nunc ad superos evocatus, *Libro*
Epistolarum Medicinal. V. epistolis 7. & 8. ad illustrem Dominum,
B. L. de Pudlitz datis, historiam citat hominis cujusdam gregarii &
obscuri, qui viro magnario arthritide afflicto venas diversis in lo-
cis secuit, sanguinem prolectum arboribus immisit, & sic atrocem
ac nodosam podagram ex ægri corpore profligavit. In sequente
epistola 8. alium transplantandæ arthritidis modum ex *Vechnero*
Archiatro Regio proponit. Hic primo ab ultimâ Lunæ quadrâ die,
recisum vegetæ salicis fruticem in urina & sanguine ex patiente
collectis invicemq; confusis macerat triduum, maceratum in aliud
solum transfert, terra & glebis herbescentibus obruit quantum
par est, mox scrobiculos circa novum immisit fruticis locum factos
illa sanguinis & urinæ mixturâ largiter irrigat, sequenti mense cir-
ca idem tempus idem reperit, fruticem cum terra circumjecta effo-
dit, mixturæ illi immittit, ut exinde largiter humectetur, dehinc ite-
rum terræ reddit, denuò irrigat & sibi soli relinquit. Sic derivato
malo restituitur æger. Debet autem celebrari hæc transplantatio eo
tempore quo aliàs tenelli salicum frutices metastasin ferunt, & ca-
vendum, ne, dum scarificatur æger aut transplantatur frutex Luna
piscium signum inambulet. Ibidem alia adhuc habetur curatio ma-
gica. Decoquuntur creta & verbascum in aqua chalybeata pro
podoniptro, quod, factâ jam in eo dolentium pedum lotione, scro-
bi in terra effosæ immittitur, scrobs terrâ obruitur; quando mix-
tura hæc computruit, podagricus dolor cesat. Alia quoq; sunt,
sed quæ à memoratorum simplicitate non nihil deflectunt; illa ita-
que, ne iniquos experiar Aristarchos censoriâ virgulâ minaces &
torvum irringentes, silentio venerabor. Ast, ædepol! oportet
pollere judicio & res omnes scrutinio ponderare sagaci. Quantò
autem

autem diutius quis sub scholasticis legibus captivatus haerit, tanto & tardius & difficilius proprii iudicii libertatem assequetur, si non cuique arti aut scientiae, medico tamen valde necessariam. Et bene quidam huius aetatis Philosophus: *multi citius veritatem in rebus invenissent nisi scholasticis se implicassent criticis.*

Sed manum de tabula, cum ipsa pagellarum ratio exigere videatur ut huic dissertationi imponatur

F I N I S.

Corollaria.

1. Corpora Protoplastarum ante lapsum talia non fuere qualia nostra jam sunt post lapsū; & corpora nostra post lapsum talia non sunt qualia fuere protoplastarum ante lapsum, quanquam Moyses nullius metamorphoseos hinc meminisset.
2. Commonstratio cruentorum linteaminum in in V. T. non absque singulari Dei concursu indubitatum fuit signum illibatae virginitatis.
3. Divus Moyses Alchymiae fuit peritissimus.
4. Terminatio vitae fatali cum ratione & natura non bene convenit.
5. Ex solis libris artem Medicam addiscere impossibile est; nec collegia aut musæa, sed theatra anatomica, horti Medici, officinae Chymicae & Nosocomia publica verae sunt Medicorum scholae.

6. Fru-

- 6. Frustra sunt, qui in vulneribus per tormenta bellica & Arquebusas inflictis ullâ inductæ à globo perustionis aut ardoris extinctione opus esse arbitrantur; quin, quòd ista vulnera, ut naturâ, ita & curatione à magnis contusionibus parùm aut nihil differunt,
- 7. Vulnera tam falcatis quàm mucronatis gladiis absq; contusione recens adacta, rectiùs balsamis, ut vulnerario Crollii, Rulandi, Mentensium, oleo Peruviano & Hispano, quàm unguentis suppurantibus & putrefacientibus curantur.
- 8. Galenus & Hippocrates non videntur statuisse animæ æternitatem,
- 9. Mira est & mysteriosa animæ æternitas.
- 10. Elementa rectiùs sex quam quatuor statuuntur; sunt illa: ignis, aër, aqua, terra, sal & oleum.
- 11. Opium & Camphoram frigida qui dicit, errat.
- 12. Si superstitiosus abeset lusus, damnandum haud foret prophylacticum illud arthritidis Alexandri Tralliani: *Meu, treu, mor, phor, teux, za, zon, the, lou, chri, ge, ze, on.*



ULB Halle
003 060 411


3



W007







Q. D. B. V.

1668, 5
2.
6

ORDO AC METHODUS
RECTE DIGNOSCENDI AC DEXTRE CURANDI
**TARTARUM AR-
TICULORUM,**

Quam
Autoritate & Consensu Gratosissimi Collegii
Medici in Electorali Acad: Viadrina,

PRÆSIDE

Viro Excellentissimo & Celeberrimo

DN. MELCHIORE POLISIO,

Med. Doctore longè experientissimo, Professore
publico emerito, Facultatis Med. Seniore,
& h. t. Decano,

*Philiiatris aliisq, eruditis
publicè sistit*

**CONRADUS VEESENFELT, Bremâ-Saxo,
A. & R.**

*Ad diem II. Septembris
In Auditorio majore.*

Francofurti ad Oderam,
Literis **CHRISTOPHORI ZEITLERI,**
M DC LXVIII.

